1.

HAMMONII HERMEAE

IN QVINQVE PORPHYRII VOCES COMMENTARIVM

IOANNES BAPTISTA RASARIVS A' VALLEVZIA
E GRÆCO IN LATINVM VERTEBAT.

VENETIIS.
Apud Hieronymum Scotum.
M. D. XXXXII.

ILLVSTRI VIRO IO. BAPTISTAE SPECIANO

CÆS. SENATORI, SVMMOQVE RERVM CAPITALIVM DITIONIS

Mediolanenſis præfecto Io. Baptiſta Raſarius. S. P. D.

MVLTIS *ab hinc diebus me* Lucillus *philoſophus hortatus eſt, ac pene incendit, vt cõmentarios, qui in* Porphyry Iſagogen *editi ſunt, latinis literis explicarem. Equidem & ſi difficili quodam negotio ſtudyſq; humanioribus diſtrictus eſſem, homini tamen eruditiſſimo, mihiq; amiciſſimo obtemperare dignum cenſui. nec rationem laudis mihi nunc habendam duxi, cum vtilis potius eſſe velim, hæcq; minima res ſit, tum etiam, quòd* Hãmonio *ſub cuius nomine huiuſcemodi cõmentary circũferuntur, aſcribendi mea ſententia nequaquam eſſent. Quoniam* Hammonius *multis annis antiquior fuit* Porphyrio. *quod quàm clarum ſit, ipſe idem* Porphyrius *atteſtatur.* Plotinum *enim* Alexandriam *profectum eſſe, ab amicoq; ad* Hammonium *philoſophum, et ſenem adductum fuiſſe literarum monimentis tradidit. cum poſtea* Romanis *imperaret* Philippus Romam *veniſſe* Plotinum *affirmauit.* Agebat *tum* Plotinus *nonum ſupra quinquageſimum annum, cum* Porphyrius *triginta nondum annos natus* Romam *profectus eſt,* Plotinoq; *primum adhæſit.* Videmus *igitur fieri nõ poſſe, vt* Hammonius, *qui* Plotini *præceptor fuit,* Plotinus *ferre ſenex* Porphyriũ *adhuc iuuenem docuerit in quinq; illas voces à* Porphyrio *compoſitas ſcripſerit commentarium. niſi forſitan alter fuerit* Hammonius *minor vt ex eius inſcriptione facile cognoſcitur cuius tamen cunque hoc opuſculum extiterit non niſi ab erudito homine (vt mea fert opinio) componi potuit. cum adeò* Porphyrii *ſenſa declarentur & aperiantur vt quiuis diſciplinæ cupidus intelligeret. quod etiam effecit, atq; incitauit, vt illud interpretarer, quo iuuenes literarum græcarum ignari, qui tamen optimarum artium ſtudia cupiant, legere poſſent. In quo uertendo non parum acceſſit laboris. Neceſſe enim fuit* Porphyry *contextum, quem in græco hoc commentario mancum inueniebam, ac ſæpe alienis verbis, ac nos haberemus dictatum, & minime ſuis locis aptè diſpoſitum addere, ſuis reddere verbis, & vbi potiſſimum conueniret, collocare. quod in cauſa fuit, vt* Porphyrium *à multis viris ante me tranſlatum adhuc latinum facere contenderim. Sed miraberis fortaſſe vir eruditiſſime, quod ego, qui non mediocriter adhuc latinis, & græcis literis initiatus ſim, aliquid mihi ſumpſerim interpretandum. verũ non uereor, quin ueniam à te ſim impetraturus, ſi* Lucillo, *non mihi cauſam hanc aſcripſeris, mei que conſily cogitationem acceperis.* Cogitaueram *ſæpenumero poſſent ne latinis literis dialecticés rationes tractari, & explicari, idq; nequaquam ab eo fieri poſſe, qui parum diſſerendi facultatem calleret, vel ſaltem abſq; maxima difficultate, vel ut verba ſenſibus non cohererent, doctorum hominum opinionibus cenſeretur, experiri tamen aliquando cupiueram, & ſi pene dialectices expers eſſem, quod nunc à grauiſſimo viro rogatus feciſſe videor, non tamen quod appetebam, & contendebam aſſecutus.* Coactus *enim ſum dictionibus quibuſdam vti, quas ſtudioſorum hominum obtrectatores, quorum falſum iudicium ſubire cogor, carpent, vſu tamen longo philoſophorum adeo receptis, vt ſi mutarentur, ſenſus omnino deprauaretur, veluti* ἀλλοιοῦσθαι, κατηγορίας, ὁμώνυμά τε, καὶ συνώνυμα, *quæ alterari, prædicamenta, æquiuocàq; & vniuoca placuit conuertere.* Verum *cum fieri nequeat, ut ignaui, rerumq; imperiti nullis alicuius rationibus acquieſcant, ego iudicio tuo multo ſtare malo, quam reliquorum omnium.* Poſtularet *præterea (opinor) hic locus, ut aliquid de tuis, ac magnis in me promeritis commemora-*

rem ſed quoniam tanta ſunt, tamq́; magnificus eſt animus tuus, atq́; excelſus, vt quæ dicenda eſſent, breui oratione conſequi non poſſem, hæc mihi tacenda potius duxi, debitòque teſtimonio priuare, quam illa ſummis, quas merentur, orbare laudibus. Hos igitur commentarios, *tanquã fructus ex beneficio, quod in me ſerere non dubitaſti, tibi dicatos, teq́; inconſulto in publicum emiſſos eo animo, quo tibi dantur, accipias, mihiq́;, quòd auribus tuis, dum forte maximarum rerum negotijs impeditus es, obſtrepere auſus fuerim, ignoſcas, vehementer rogo.* Vale.

Mediolani. XV. Calen. Aprilis. M. D. XLII.

QVINQVE VOCVM EX HAMMONII MINORIS INTERPRETIS VOCE COMMENTARIVM A IOAN. BAPTISTA RASARIO TRANSLATVM.

CVM ea quæ ad philoſophiam maximè attinere uidentur auſpicaturi ſimus, quid philoſophia ſit, cognoſcere neceſſe eſt. Eum enim, qui aliquid aggreditur, quid illud ſit, præuidere oportet, ita enim fiet, ut rem ſtudioſius conſequatur. Verum res ex earum definitionibus comprehendimus. Sed quo nam pacto rem ex definitione percipiemus, niſi, quid definitio ſit, prius didicerimus? Definitio igitur oratio breuis eſt, quæ rei naturam indicat, quæque nomen ab agrorum terminis per tranſlationem ſortita eſt. Nam ut illi aliena rura à noſtris diſtinguunt, eodem modo definitiones rem apprehendunt & a reliquis omnibus ſegregant. Nunc itaque philoſophiæ definitionem dicere neceſſitas cogit. Veluti cum à grammatices rudimentis ordimur, grammaticam etiam eorum, quæ à poëtis, hiſtoricisq; ut plurimum dicuntur, ſcientiã eſſe definimus: Eodẽq; ordine cum primum ad initia oratoriæ facultatis accedimus, illam perſuadentis orationis uim quandam arte coniunctã in ciuilibus cauſis eſſe diſcimus, cuius benedicere ſit finis. Philoſophiæ itaq; definitio percipienda eſt, quandoquidem ipſa ſcientiis, artibuſq; reliquis definitiones tradat. Omnis igitur ſcientia atque ars ſubiectum aliquod, & finem poſſidet. Subiectum illud appellatur, de quo agitur. Finis autem eſt, ad quem mentis acies intendit, quemquè ſtatuendum eſſe deſiderat, ut hoc patebit exemplo. Medicinæ humana corpora ſunt ſubiecta, quoniam in iis uerſatur. eiuſdem finis eſt, ualetudinem recuperare. quandoquidem eò ſolum tendat Fabro item ſubiecta ſunt ligna, eiuſquè finis abbacũ efficere. Quod quidẽ in cauſa eſt, ut definitio omnis ex ſubiecto fineue uel ab utriſque compoſitis ſuſcipiatur. Ex ſubiecto, cum medicinam artẽ eſſe circa humana corpora uerſantẽ definimus. Ex fine, ſanitatis effectricem. Ex utriſq; compoſitis cum medicinam artẽ eſſe affirmamus, quæ circa humana corpora uerſetur, ſanitatiſq; ſit effectrix. Aſtronomia quoque cũ ſcientia ſit, cœleſtia corpora habet ſubiecta, finemq; motuũ ipſorũ cognitionem. Quid igitur philoſophiæ ſubiiciatur, quidque finis ſit, percipiamus, ut ipſius definitionem tradere poſſimus. Animaduertendum eſt igitur, quòd cum reliquæ artes, ſcientiæq; omnes circa peculiaria quædam uerſentur ut fabrilis circa ligna tantum, aſtronomiaq; in ſolis aſtris exiſtat, Verum ſolam philoſophiam circa omnia, quæ ſunt, uerſari, finem autem habet non facere, ſed illa omnia cognoſcere. Accipiuntur itaq; philoſophiæ definitiones plures, multi enim ueterum pluribus modis illam definierunt. Et ne omnes definitiones, quas nonnulli ambitione magis, quàm occaſione adducti tradiderunt, recenſeamus, quinque uel paulo plures aſſignabimus, Quarum duæ ex ſubiecto, totidem oriuntur ex fine. Quinta, per eam, quàm ad reliquas artes habet, excellentiam apponitur. Sextam præterea ex nominis ui addidere. Prima igitur definitio ita traditur. Philoſophia eſt, uerum, ut res ſunt, cognitio, philoſopho non ſingulos, qui inter uiuos agunt, homines ad unum ſcire, ſed hominis tantum quæ ſit natura, cognoſcere propoſitum eſt. rerum enim omnium naturam philoſophus ſpeculatur. Alteram philoſophiæ definitionem hanc eſſe uoluit Plato. philoſophia eſt diuinarum humanarumq; rerum cognitio. hanc tamen eandem eſſe cum prima manifeſtum eſt: tãtum uerò diſcriminis habent, quòd hæc præcedenti notior eſt. Cum diuideret res Plato, quæ ſempiternæ eſſent diuinas, ortui uerò interituiq; ſubiectas humanas appellauit. Vtranque igitur definitionem ex ſubiecto traditam aperuimus, atq; nihil mutuò differre. niſi cognitiori, & minus cognita oſtendimus. Tertiam ex fine definitionem Plato. ſic aſſignauit. Philoſophia dei ſimilitudo eſt, quãtũ homini permittitur. Nã cũ duplex dei ſit actio, una notionis, qua cuncta cognoſcit, quod ſic poëtæ dicentes ſignificarũt.

» Dii omnia norunt.

Alteram inferiorum prouidentiæ, qua mundum uniuerſum gubernat quod nec ignorarunt poetæ, cum dixerint.

» Dii dant bona ſemper.

In utriſque enim ſe ſe philoſophus deo ſimilem præſtare ſtudio contendit, uult omnium quip-

pe ſpeculator eſſe, quòd omnia conſiderat. erit inſuper prouiſor, cum inferiora gubernet, & adminiſtret: quoniam ciuilis philoſophus iudicat legesq́; præſcribit. Quare meritò philoſophia eſt dei ſimilitudo. Illud autem, quantum homini fas eſt rectè ſubiungitur. quippe cum eadem cognitio non ſit, nec prouidentia, quoniam.

„ Neque enim ſimile eſt genus unquam
„ Immortale Deum, atque hominum terra egreſſorum.

Quorum enim cunque uis, atq; natura diuerſa eſt, diuerſæ eorũdem ſunt perfectiones. Quod in cœteris quoque animantibus patet, homine uidelicet, atq; equo, quorum quia differt uis naturaq́; diſſimiles eſſe perfectiones comperimus. utpote cum hominis cum ratione, prudentiaq́; uiuere ſit perfectio equi uero acrem, uelocemq́; & bellis idoneum eſſe. Quinimmo in brutis, quæ ſunt rationis expertia, nunquam perfectiones differre, niſi & naturam uideremus, aliam canis aliam bos perfectionem ſortitur, quòd ſi in iis, quanto magis in homine ac Deo continget? Quare cum non parum diſſimiles habeant naturas, diſſimiles quoque perfectiones habebunt. pulchrè igitur, quantum homini permittitur, definitioni adiectum eſt. Philoſophia itaq́; eſt, quãtum homini licet, Dei ſimilitudo. quid uerò, ut ſic definiretur, fuerit in cauſa, dicendum reſtat. Poſtquam (ut diximus) duplex eſt dei uis cognitionis, & actionis, ſic & in animis noſtris contemplatrix, effectrixq́; contingent. quibus cum philoſophus utranque animi partem ornare cupiat, uel dum rerum omnium naturam, quomodo ſe habeat perſcrutatur, tum etiam cum patibiles animi uires cum diuinarum rerum contemplatione coniungit ſupra hominem attollitur. non iniuria philoſophiam dei ſimilitudinem, ut homini datur, Plato definiuit. Sequitur altera ex fine definitio. Philoſophia eſt mortis meditatio. Quoniam huiuſcemodi definitio philoſophiam mortis meditationem eſſe demonſtrat, quomodo mortis meditatio intelligenda ſit, dicemus. Cleombrotus porrò nomine cum Platonico phædoni nauaret operam philoſophumq́; mortem meditari debere cum didiciſſet, quo pacto autem oporteret ignorans murũ aſcendens ſe ſe præcipitem dedit quod poeta quidam in ipſum Ambraciotam tum ad modum adoleſcentem, epigramma componens teſtatus eſt, dixit enim.

„ Phœbe uale dixit, dèque arce Cleombrotus alta
„ Iuit ad *infernas Ambraciota domos.*
„ Nullum in morte malum ratus eſſe, ſed aurea dicta
„ Phœdonis de anima non bene nota ſequens.

Sibi igitur id accidit ex ignorantia, quomodo enim mortis meditatio intelligenda eſſet, conſiderare debuerat. cum ſibi inferre manus nemini licere iis uerbis admoneat Plato. PROFECTO SERMO ILLE QVI DE IIS ARCANIS HABETVR, VELVTI IN QVADAM CVSTODIA ESSE HOMINES, NEQVE DECERE QVENQVAM EX HAC SE IPSVM SOLVERE, NEQVE AVFVGERE, MAGNVS MIHI QVIDEM, NEC COGNITV FACILIS VIDETVR. Nefas igitur eſt, quenquam ſibi mortem conſciſcere. Nam quemadmodum ſi quis in publicis carceribus uinctus teneretur à uinculis ſe liberans aufugere ſtuderet, omnes in ſe, quotquot ſunt, leges conuerteret, eodem etiam modo, qui corporis uinculum diuina connexum prouidentia ſoluere feſtinauerit, omnes ſui opificis leges in ſe commouebit. Quòd ſi hæc ita ſe habent, qualiter philoſophiam mortis meditationem dicemus? dictis adhibe mentem, & ſtatim ſoluetur dubitatio. Nam cum homo corpore conſtet, animaq́; ut ex duobus componitur, ita & animæ ſolutio duplex erit. Eſt enim quoddam naturale uinculum, per quod animæ corpus alligatur, uitalemq́; ſpiritum ab ipſa trahit. Quoddam uero uolũtarium, ſecundũ quod corpori coniungitur, eidem ſeruiens & ſubiecta duplex igitur erit ſolutio, prima, per quam corpus ab anima ſecunda, per quam anima à corpore ſoluetur. morsq́; erit duplex. altera naturalis, qua cuncti morimur, quæ accidit, cum corpus ab anima ſeparatur, altera uerò uoluntaria, cum ſcilicet philoſophi animam à corpore contemplationibus diſiungunt. Mortem igitur meditari, hoc eſt, animam à corporeis rebus ſeparare dicuntur. Hoc autem non ignorandum eſt, quòd cum corpus ab anima ſeparetur, animam non omnino à corpore ſegregari. tantopere enim animæ corpora diligunt, ut etiam poſt mortem in amore perſeuerent. nonnulli propterea umbroſas circa tumulos apparitiones uideri exiſtimant. Sed neque cum anima à corpore, omnino corpus ab anima diſiungetur. Philoſopi enim adhuc uita feruẽtes, ſeipſos à corporibus auocant. eſt igitur philoſophia mortis, id eſt, animæ ſeparationis à corpore meditatio. Reſtat ut quæramus, ſi philoſophia finem habeat, eorum, quæ ſunt, cognitionem, quo iure primam definitionem dicentem, omnium, quæ ſunt, cognitionem, philoſophiam eſſe, item alteram, cognitionem diuina-

rum, & humanarum rerum, ex ſubiecto, non autem ex fine aſſignari affirmauerimus. Vt enim medicinæ ſcientiam quatenus circa humana corpora uerſatur, ex ſubiecto, dum uerò efficit ſanitatem, ex fine ad quem intendit, definiri aſſeruimus. eodem modo de philoſophia dici oportebat. Quæ ſi finem habeat rerum cognitionem ſuperiores definitiones ex fine deriuari dicere neceſſe eſt. Illud primum animaduertendum eſt quod cum duo philoſophiæ ſint genera, primum quo contemplamur, alterum quod eſt in actione, duos etiam fines nactum eſſe. Quando enim philoſophiam mortis meditationem eſſe dicimus, ex fine qui in actione eſt, definimus cum autem rerum, ut ſunt, cognitionem, ex eo fine, qui cognitione comprehenditur, definitur. Cum uero dei ſimilitudinem, quatenus homo aſſequi poteſt, ex utriſque fit definitio. Medicina, quæ miſta eſt, quando ſecundum contemplationem tantummodo definitur, ſcientia dicitur, quæ in humanis corporibus uerſatur: & iure hanc ex ſui ſubiecto definitionem dicemus. Quando autem ex eo, cuius gratia uſu recepta eſt huiuſcemodi contemplatio, ſanitatis dicitur effectrix atq; ex fine definitionem affirmabimus. At philoſophia cum ſimplicem contemplandi formam habeat, (Nam propter id ſolum fit, ut res cognoſcantur) aliam ex ſubiecto, aliam ex fine definitionem ſuſcipere nequaquam poteſt. Nam cognitio aliquorum eſt cognitio, & quoniam cognitio & aliquorum cognitio ſimul comprehendentur, & ſimilia reddentur, ſiue ex ſubiecto quiſpiam dixerit definitionem, ſiue ex fine, non errabit, ex utriſque potius erit. Sed forſitan illas definitiones, quas diximus, ad harum diſtinctionem, eius uidelicet, quæ dicebat, ſimilitudinem dei pro uiribus, quæ neq; in quibus eſſet ſimilitudo determinet, & illius, quæ mortis meditationem dicebat, ex ſubiecto traditas confeſſi ſumus. Eſt & alia definitio, quam Ariſtoteles per ipſius philoſophiæ ad reliquas tum ſcientias tum artes excellentiam ſic aſſignauit. Philoſophia artium ars eſt, & ſcientiarum ſcientia. Quoddam enim modo ad hanc omnia referri poſſe intelligebat. Cognitionum aliæ artibus, aliæ ſcientiis conueniunt. artes uero ipſæ, ſcientiæq; nihil inter ſeſe rationibus differunt. cuiuſq; enim artis rationes per ſeipſas non uariant: ſecundum materiam uero diſtinguuntur. quippe cum ſcientia ut Aſtronomia Geometria, & Arithmetice in iis exiſtant, quæ ſemper ſunt eadem, artes uero in iis, quæ ut plurimum tranſmutentur. Quæ de re Geometriæ rationes ſic non mutantur, ut hoc ſe habet. In omni circulo à centro ad circuitum omnia interualla æqualiter diſtãt. hoc enim eodem ſemper ſe habet modo. Medicinæ rationes mutantur, ut cum dicitur, contraria contrariis ſunt medicamina, cuius rei cauſa eſt, non circa idem ſemper exiſtere. primum quidem, quia non omnibus morbis remedium inuenitur, quod ſi ad mortem eſſet ægritudo, aliter profecto fieret. Deinde quia morbi non ſemper contrariis, ſed plerumq; ſimilibus curantur. ut in iis, quæ accidunt: Sæpenumero enim frigidus humor infuſus intenſum calorem reuocauit. Omnibus igitur ſcientiis artibuſq; Philoſophia principia dedit.

Geometriæ inquam rationes uniuerſales, philoſophorum enim eſt uniuerſalia inueſtigare.

Præterea geometra punctum indiuiduum ſumit, ac magnitudinem diuidit in infinitũ. atq; iis principiis utitur ſine demonſtratione, ſed hæc probat philoſophus, quoniam inquit. Omne terminans terminato una dimenſione minus eſt. Corpus enim cum tres habeat dimenſiones, in latitudinem, longitudinem, & altitudinem diuiſum à ſuperficie circunſcribitur, quæ duas habet dimenſiones, longitudinem, & latitudinem. non enim habet altitudinem, qua minor eſt corpore. Superficies item quæ duas habet dimenſiones longitudinem, & latitudinem, à linea terminatur, quæ in ſolam longitudinem extenditur, quæ item à puncto concluditur. punctum uerò, cum indiuiduum ſit, nullam habebit dimenſionem. Omne igitur, quod terminat, terminato una dimenſione minus eſt.

Omnẽ rurſus magnitudinem in infinitum uſq; diuidi poſſe, ſic philoſophus demonſtrabit. Sectio omnis fit per puncta, quæ nec componunt corpus, nec efficiunt, Tres igitur corpus per puncta diuiſim habebit dimenſiones, quoniam per diuiſionem nihil à corpore præter quantitatis magnitudinem aufertur. tres tamen dimenſiones remanebunt. Suſcipit igitur corporis ratio ſectionem in infinitum. Quod ſi minus fieri poſſe, propter ingenitam nobis imbecillitatem uidebitur, non tollendum eſt.

Medicinæ quoq; quatuor elementa philoſophia impertitur, philoſophis enim quatuor elementa indicantibus, totidem in corporum generatione, hæc quæ uulgata, neq; iis plura, pauciorave medici id recipientes falſi ſunt, ex iis quatuor elementa, quatuor humores fieri dicunt,

quos ſecundum remotioris proportionem aſſumunt.

Rhetoricæ rurſus philoſophia principia dedit, quandoquidē exemplum, & enthymema, quæ inductioni, ratiocinationiq́; comparantur, rhetor accipiat. Vt enim ratiocinatio uera eſt, cum in ſe neceſſitatem habeat, eodem modo uerum erit enthymema, quod una propoſitione à ratiocinatione ſuperatur. qua de re ratiocinationis etiam imperfectæ nomen ſortitur. Ratiocinatio inquam ratio eſt, in qua quibuſdam poſitis aliud quid, quàm quæ poſita ſunt, euenire contingat, ex eo, quod hæc ſunt pari etiam ratione exemplum inductioni reſpondebit. Enim uero ut inductio decentem quandam probationis rationem, non ſemper ueram habet, ita & exemplum habeat oportet. Mutuo quidem hæc differunt. quoniam inductio ratio eſt, à ſingularibus ad uniuerſalia fidem faciens, ut rhetorices ars, iuriſq; ciuilis ſcientia, & reliquæ artes, utiles uitæ ſunt. medicina igitur, quia ars, utilis uitæ eſt. At exemplum à ſingularibus ad ſingularia affirmat, & inde ſumit argumenta. Nam de argumentorum locis Ariſtoteles in logica diſſeruit: & nihil quod omnino ad rhetoricen attineret, prætermiſit. Rhetoricen igitur a philoſophia ſumpſiſſe principia manifeſtum eſt.

Orator inſuper iuſto, honeſto, utiliq́; utitur, etſi quomodo, & ubi, & quando iuſtū inueniatur, et num idem utile ſit, ignoret. Sunt enim, qui iuſtum idem ubiq; eſſe utili exiſtiment. Sunt etiam, qui ea diſiungant, & contraria faciant. Hoc autem manifeſtum erit, ſi conuertentur.

Grammatica non minus philoſophiæ ſubiacet. quandoquidē circa ſonos, temporaq́; uerſatur ſub muſica conſtituetur, & muſice philoſophiæ pars eſt. Sed nec rationales artes ſolum atq; ſcientiæ, uerum etiam illæ, quas mechanicas appellamus, philoſophia indigere compertum eſt. Aedificator perpendiculo utitur, ut, an rectus ſit paries diſcernat, ſed quid perpendiculum ſit, non cognoſcit. philoſophus rei reddens rationem dicet.

Omnia grauia ſuapte natura ad centrū tendunt. grauia ad rectos angulos ex omni parte feruntur, recti anguli nunquam aliquo declinant.

Faber etiam lignorū ut ligna recta efficiat, rubrica utitur, ſed quæ rectæ lineæ natura ſit, ignorat. Geometres uero, cuius partes à philoſophia ſunt, dicet rectam lineam eſſe, quæ æqualiter inter ſua ſigna conſtituatur. Eodem modo omnes artes, quæ principium obtinent, id à philoſophia nactæ ſunt. eſt igitur philoſophia artium ars, ſcientiarumq́; ſcientia. At Pythagoras philoſophiam eſſe ſapientiæ ſtudium affirmauit. primus hic ueterum [illegible] qui cum ab illis eum, qui huius artis particeps eſſet, σοφὸν .i. ſapientē nominari audiret, Quorū unus erat Archilocus dicens.

Iuſtum tridentemq;, & gubernator ſophon,

Et poeta.

Sapientis Mineruæ exhortationem probe cognoſcēs hoc tanquā ſapiens faber aptauit deoq; cognomen attribuit. quem ſolum ſapientem appellari deceat. utpote qui ſapientiam habeat, & perpetuam rerum cognitionem. Quumq; alii de grammatica, deq; rethorica, nonnulli etiam de naturalibus quicquam quærere cæpiſſent, alii uero econtra ad alia ſe contuliſſent, eos, qui naturalem ſpeculationem exercerent. philoſophos, uocari uoluit. quaſi amantes ſapientem, quem Deum dumtaxat appellari cenſuit. eorumq; cognitionem decenter philoſophiam nominauit. Hæc Pythagoras. Multæ ſuperſunt philoſophiæ definitiones, uerum iis contenti ſumus. Sed quia res omnis uel diuiditur, aut diuidi non poteſt, utrum philoſophia diuidatur, nec ne, dicere neceſſe eſt. Veruntamen antequam id aggrediamur, quid omnino diuiſio condiuiſioq́;, & ſubdiuiſio ſit declarandum cenſemus. Illum enim, qui de diuiſione diſſerturus eſt, quid unumquodq; eorum ſit, referre oportet. Eſt igitur diuiſio per primam notionem rei ſectio. Condiuiſio enim ſecundum notionem ſecundam partitio, ut cum animal per primā notionem in rationale, & rationis expers diuidimus, diuiſio dicitur. Per ſecundam autē in ſupra cœleſte, & terrenum, mortaleúe, aut immortale, condiuiſio fiet. Solo ordine inter ſe ſe differunt. Subdiuiſio eſt, diuiſæ rei partis ſeu ſpeciei ſectio. Speciem nunc dico, quam ſubalternam uocant. Vt ſupra cœleſtis aliud fixum eſt, errans aliud. ſupra cœleſte enim ſpecies erat animalis, quod quidem in fixum, uagumq́; ſubdiuiſimus. Demonſtrata igitur diuiſionis, cōdiuiſionisq́;, ac ſubdiuiſionis doctrina, reſtat, ut de philoſophiæ diuiſiōe differamus. ¶ Philoſophiā, ut ſupra declaratum eſt, alii bifariam, nonnulli uero in partes tris diuiſerunt. Illi autem qui in treis partiti ſunt partes, alteram in contemplatione, ſecundam in actione, tertiam in

tiam in ratione uerſari dixerunt. quod utrum bene habeat, uidendum eſt. Quoniam à diuinis ſemper auſpicamur, de diuinis ratio prima eſt. (Omnium enim principia à diuinis auſpicari debemus) ea de cauſa non ſine ratione ueteres eam diuinorum rationem appoſuerunt. naturaleq́;, quo ad nos primum eſt, utpote quæ intelligentia ſolum pollent, à nobis percipi nequeant, niſi prius cognita ſint, quæ ſenſu percipienda ſunt, ſed reuera extremum habeat locum. Extrema enim ſubſtantia materiata eſt, iccirco extremum locum ſortita eſt. Mathematicum, quod nonnulli rationali præpoſuerunt, ea ſibi ratione medium uendicauit, quod ab ipſa natura, in medio ordine conſtitutum eſt. Quemadmodum etiam Platonici uoluere, ut formas, quæ inſunt in anima cognoſceremus, & eorum, quæ in ſingulis ſpeculati ſumus. Mathematicis demonſtrationibus, tanquam uia quadam, & ſcalis utentes recordaremur. At Ariſtotelici ea de cauſa mathematico medium locum attribuere, ut ab iis, quæ ſubſtant in materia, intelligentiam, quæ quidem etſi cerni non poſſit, plenius, euidentiuſq́; ſubſiſtat, cognoſcere per materiam aſſueſceremus. Hinc autem lineam, quæ huic ſubiacet materiæ, nunquam æque, ac ipſam materiam, ceramúe aut æs cognoſcemus, niſi eam reſoluentes in mentem adduxerimus, uehementiorem ipſius uim contemplati fuerimus. Quòd autem omnis figura, ueluti linea, & triangulus ceræ non communicetur, propterea quòd ſubſtet, per ſe manifeſtum eſt. Nam trianguli figuram dempto latere mutatam, ceramq́; mutationis immunem manere uidemus, ambo autem mutarentur, ſi natura eſſet utriſq́; communis. Philoſophia igitur, ut dictum eſt, cum in eam diuiditur, quæ in actione uerſatur, tum in eam, quæ in contemplatione conſiſtit. Hoc loco quare in hæc, & bifariam philoſophia diuidatur, quærere dignum eſt. In pauciores quidem fieri non potuit diuiſio, cum unum in unum diuideretur nunquam. Cur uerò non in plures, huiuſce rei cauſæ duæ ſunt. Cum philoſophiam dei ſimilitudinem, quatenus homini licet, eſſe dixerimus, duæq́; Dei ſint actiones, cognitionis altera qua cūcta cognoſcit, altera prouidentiæ, qua cūcta inferiora ſe gubernat, philoſophia iure in contemplationem diuiſa eſt, & actionem. Nam contemplationis ope ea, quæ ſunt cognoſcimus. per actionem uerò inferiora diſponimus, eoq́; modo nos Deo ſimiles præſtamus. Hanc ſecundam diuiſionis cauſam eſſe affirmamus. Animæ noſtræ geminæ numerantur actiones, quarum aliæ uim cognoſcendi habent, ut mens, ratio, ſenſus, opinio & phantaſia, alteræ etiam uitales, & in appetitu ſunt, quæ in uoluntate, electione, animo, deſiderioq́; conſiſtunt. Cum igitur philoſophus omnes animæ partes, noſq́; perfectos eſſe uelit, per contemplationem cognitionis uirtus, per actionem uero uitalis perficitur. Non ab re igitur in contemplationem actionemq́; philoſophia partitur. Rurſus philoſophiæ contemplatricis triplex ratio. alia de diuinis, alia de mathematicis, alia deniq; de naturalibus. Id quæ non immerito, quandoquidē omnia ſpectare philoſophus capiat. Sed eorum, quæ ſunt, triplex eſt ordo. Rerum aliæ omnino materia carent, per ſeq́; ſubſiſtunt, & intelliguntur, ut diuinæ aliæ uero nunquam ſeparari, neq; per ſe ſubſiſtere, intelligiúe poſſunt, ut naturales, ſpecieſq;. non niſi cum materia intellectæ. Vt lignum, oſſa, caro, ſimpliciaq́; corpora, quæ quidem naturalia uocantur, propterea quòd à natura proxime producuntur. Mathematica autem, quæ ſeparari & non ſeparari apta nata ſunt, intermedia uocantur, circulus enim, triangulus, huiuſq́; generis reliqua per ſe ſine materia ſubſiſtere non poſſunt. quod quidem in cauſa eſt, ut à materia non ſeparentur. Veruntamen poſtquam ligneum, æneumúe, aut lapideum circulum, atq; triangulum inſpicimus, eorum formam à materia ſeparatam animo compræhendimus. ueluti cera, quæ non materiam, ſed formam trahit, cum à ſigillo imprimatur. Dicentur itaq; à materia non ſeparari, cum per ſe non conſiſtant, ſeparari uerò cum ita nos opinione conceperimus. Cum igitur ex iis, quæ ſunt, alia omnino ſeparata, alia penitus non ſeparentur. alia partim ſeparentur, partimq; non ſeparentur, meritò contemplatricis philoſophiæ petitiones diuinam, naturalem, & mathematicam aſſignauimus. Nam ſeparata diuinis, quæ non ſeparantur naturalibus iis inter media mathematicis tribuunt. Quæ cum materia ſunt, nunquam ab eadem, ſeparari, mathematicaq́; ſeparari ex definitionibus manifeſtum eſt. Nam in circuli definitione, quæ ſic ſe habet, Circulus plana eſt figura ab una linea circunſcripta, in quo omnes rectæ lineæ, quæ à centro ad anfractum deducuntur, mutuò ſunt æquales, nulla materia ſuſcipietur. At ſi domum definimus à materia ſeparare non poſſumus, ſic enim dicimus. Domus integumentum eſt, ex lapidibus, ligniſq́; conſtructum, quo ab æſtu imbribuſq́; defendimur. quod niſi materiam adhibeamus, neq; ſcenam, integumentumq́; aliquod intelligemus. Medium eſt. iure ma

thematicum, quoniam à naturalibus ad diuina abſq; medio conſcendere non ualemus, & ab iis, quæ nullo modo à materia non ſeparantur, ad ea quæ prorſus ſeparantur mathematicorum ope, quæ tum ſeparata ſunt, tum uerò non ſeparantur, proficiſcimur. Ex eo enim diſciplinæ dicuntur, quas ubi didicerimus, incorporeis ad diuina aſſueſcamus. Diuinus quoq; Plotinus mathematicas diſciplinas adoleſcentibus tradendas eſſe affirmat, ut ſe naturæ, quæ corporis expers eſt, aſſuefaciant. Quos ſi ſtatim à naturalibus ad diuina continenter adducere uoluerimus, cæcos reddemus. Quemadmodum autem ex maxime tenebricoſa domo in ſplendidiſſimam quis exire uoluerit, in ea morari prius oporteat, in qua mediocre lumen ſit, in lucidiſſimam poſtea deuenire, ſic iuuenes antequam à naturalibus ad diuina ducantur, in mathematicis, quæ ad illa tanquam gradus ſunt, & ſcale ut qua à materia nõ ſeparantur, naturalibus, qua uerò ſe mouentur diuinis coniungantur exerceri neceſſe eſt. Naturalium præterea, diuinarumq; rerum cognitio, nonnullas ſuſcipit ſubdiuiſiones. quas, quoniam introductionis modum exuperant ſilentio pertranſibimus. Sed mathematice diſciplinæ quatuor ſunt partes, Geometria, aſtronomia, muſice, & arithmetice. Arithmetica numerum cõſiderat. Diuinæ quippe ſunt Arithmeticæ contemplationes. Non illum ſanè numerum, quo idiotæ dinumerãt computantq;, ſed ipſam numerorum ſpeciem diuinam appello. ut cum quærimus quam nam rationem habeat ſenarius ad ternarium, aut nonarius ad ſenarium, nonne ille duplam, hic ſeſquialteram? Ortum inſuper numerorum, paris uidelicet, in parisq;, ac pariter paris, & huiuſmodi contemplatur. Geometria magnitudines, ac figuras conſiderat. Muſice pròfectò nihil, præter chordarum concentum ſpeculatur. quoſdam enim inſtituit cantus, qui affectiones animæ leniant. ipſamq; dirigant ad uirtutem, quod quidem ita eſſe muſices interuallorum cadẽtium adhuc ſeruata ueſtigia declarant. Cum tubam audimus, animo ſtatim eleuamur uehementius, reddimurq; audaciores, & ea de cauſa in prælijs exerceri ſolet, at ſi concentum, qui fit in theatro, audiuerimus, quaſi ſoluto animo deficiemus. Pythagoram, cum adoleſcentulum quẽdam tibiarum fidiculis numero ſonantibus penitus delinitum animaduertiſſet, tibicini ut ſonũ mutaret iuſſiſſe, ſicq; iuuenis libidinem cohibuiſſe literarum monimentis proditum eſt. quibus fit ut iis, quæ de diuina muſica diximus, fides adhibeatur. quapropter Plato. ille diuinus iuuenes ad muſicam, exercitationemq; *ire hortabatur, ut animum* muſica, corpus ornarent exercitatione, *Aſtronomia circa* motus aſtrorum conuenientes uerſatur. cur autem mathematicæ partes quatuor tantum ſint nec pauciores, pluresue nunc dicamus. Mathematicam in quantitate conſiſtere nemini dubium ſit. quantitatis, altera pars continua eſt, altera diſcreta. harum utraq; bifariam diuiditur. Cõtinua in eam, quæ mutabilis eſt, & immutabilis. mutabilis rurſus uel ſemper, uel quodam tempore mutatur. Diſcreta in eam, quę eſt per ſe, & eam, quæ eſt ad aliquid, diſtinguitur. continua quantitas immutabilis terra eſt, circa quam geometria uerſatur erit igitur geometria quantitatis continue immutabilis poſitione cognitio. Illa uerò quę ſemper mutatur, uerſata dicitur quantitas, ut coelũ eſt, in quo maxime agit aſtronomia, quæ quantitatis continuæ ſemper mobilis eſt cognitio. Aſtronomia inquam & geometria ambę circa quantũ continuum uerſantur. Continuum id eſſe affirmamus, cuius partes ad aliquem communẽ terminũ copulant̃. Diſcretæ quantitatis aliam per ſe, aliam ad aliquid eſſe diximus. per ſeſe diſcreta quantitas numerus eſt, quando ipſum per ſe, parq; ſit an impar, & non ad alterius comparationem per accidens ſit, ut in muſica fit, ſpeculamur. Eſt itaq; numerus quãtitatis diſcretæ ſcientia, quippe quæ numerũ per ſe contẽplat̃. Arithmetica igit̃ quãtitatis p ſe diſcretæ ſciẽtia eſt. Quantitas diſcreta ad aliqđ eſt, mutua ſonorũ habitudo, in qbus fit harmonia quę p numerũ diſcernit̃ & in qua muſice uerſat̃. Muſice igit̃ quãtitatis p ſe diſcretæ alterius ad aliud reſpectũ habentis erit cognitio. Muſicã itaq;, arithmeticãq; circa quantitatẽ diſcretã uerſari manifeſtũ eſt. Diſcretũ eſt, cuius partes p ſe cõſideratæ ſimul cõuenire nõ poſſunt. Quot igit̃, quibuſq; modis cõtẽplatricis philoſophiæ genus cõſideret̃, quẽq; finẽ reſpiciat ex iis, quæ diximus, patet. Reliquũ eſt, ut de ea quæ in actiõe eſt, dicamus, prius tamẽ diuidenda eſt. Ternæ ſunt huiuſce philoſophię partes, prima moralis eſt, altera in rei familiaris ratione, tertia in prudentia reipub. gerendæ cõſiſtit. Quicunq; igit̃ in ſeipſum recte qđ fecerit, ſuiq; ipſius mores ornauerit, moralis. in domeſticoſq; rei familiaris peritus, Qui uero ciuitatẽ uniuerſam iſtruxerit, ornaueritq;, ciuilis appellabit̃. Nõnulli tamẽ moralẽ, & rei familiaris peritũ ſub ciuilẽ reducunt, hac ducti ratione. Si ciuitatẽ uniuerſam bene quis ordine diſpoſuerit, ſeipſum magis domũq; conſtituere poſſe facilius. huicq; philoſophiæ parti ciuilẽ tantum ſubijciunt. Quibus ſic rurſum uolumus plerią; enim falſa glo-

riam

ria ſuperati ciuitatem quidem ornant, ſe tamen ſuoſque contemnunt. Quare hoc philoſophiæ genus in tria ſeiuncta genera diuiditur, Horum unumquodque in iudicandi, legumque ferendarum diſtinguitur rationem. Politicus enim philoſophus & leges fert, ſecundum quas in ciuitate uiuendum ſit, & iudicat, alioſque bonis afficit, de illis præterea, qui latas leges tranſuertunt pœnas ſumit. Id quoque non ignorandum eſt. Nam in œconomico ut in politico diximus, idem uidemus. In domo etenim leges præſcribimus, & ſeruos, filioſue contumaces iudicamus. Hæc non modo in œconomico uerum etiam in ethico conſpiciuntur. Ethicus ſibi tunc fert leges, cum dicit.

,, Aſſueſce iis addere frena,
,, In primis uentri, dein ſomno, mox uenerique

Et cum rurſus dicat Iſocrates. Deos time, parentes honora, amicos reuerere. Hæ quidem ethicæ id eſt morales leges ſunt, & ſermones. ſeipſum autem ſic moralis diiudicat.

,, Ne teneris patere ante oculis obrepere ſomnum,
,, Singula quàm repetas operis ter geſta diurni:
,, Quo ueni? quidue egi? aut quod deceat, quid omiſi?
,, Sic à principio percurras omnia. quæque
,, Comperies prauè acta, dole. Læteris honeſtis.

De re familiari, ciuilique dicemus, ubi opportunior accidat occaſio. Nunc pauca de moralis diuiſione, ac primum quid mos ſit, dicere oportet. Mos igitur hominis eſt ornamentum; Ornamentum uerò uniuſcuiuſque perfectio. quæ ex ſtudio ſuperuacui, diminutique fugiendi corrigitur. Si quippiam uero ſuperuacanei diminutiue fuerit, uitium eſt. Nam ſi quis eum turpem dixerit, qui membris aliquibus, ut manibus, cæteriſque careat, illum eodem modo turpem, qui pluribus, quàm opus ſit, abundarit, dicere cogetur, ut apud Apollonium de gignantibus legitur. Turpitudo igitur uel exceſſus eſt, uel defectio. Perfectio itaque ex recuſatione eſt ſuperſuaſui, & diminuti quæ imperfectiones ſunt. Perfectio inquàm imperfectioni aduerſatur. at contraria per contrariorum obſeruationem corriguntur. Quid igitur philoſophia ſit, quales que illius partes ſint, didicimus. Diuina igitur eſt, et expetenda. præclareque de ea dictum eſt. Tale enim bonum neque in homines perueniſſe, neque unquam futurum. hæc itaque communiter de philoſophia dicta ſint. nunc ea, quæ ad librum hunc pertinent dicamus.

Nam philoſophiam rerum omnium, ut ſunt, cognitionem eſſe diximus. Quæſierunt itaque philoſophi, qui nam omnia cognoſcerent. cumque ſingularia generari, corrumpique uidiſſent, & ea de cauſa incognita eſſent, ſcientiam uerò eſſe, ſempiternorum, finitorum que cognitionem, atque id, quod percipiendum eſſet, à cognitione comprehendi oportere, & infinitum incomprehenſibile, ſe à ſingularibus ad uniuerſalia, quæ perpetua ſunt, & definita, tranſtulerunt. Plato ſcientiam ea de cauſa dici affirmat, quòd in quendam nos rerum ſtatum, terminumque perducat. Cur à ſingularibus ad uniuerſalia conſcenderint, perquiramus. A ſingulis enim hominibus ad uniuerſalem hominem confugerunt. quoniam philoſophi non ſingulos homines numero percurrere, ſed hominis tantum naturam inueſtigare, utpote homo animal ſit rationale mortale, propoſuerunt. Id qui nouerit, quotquot ſunt homines, aut quot fuere, quotque futuri ſunt, cognoſcet. Sic igitur à ſingularibus hominibus ad quandam hominis ſe communitatem eduxerunt. Rurſus à ſingularibus equis, ad quandam equi communionem, equum dicentes animal eſſe quadrupes hinniensque ſeſe conuerterunt. Non enim omneis ſingillatim equos, flauus ne hic ſit, maculoſus ille, ſed equum uniuerſè cognoſcere uult philoſophus. Vniuerſalia ſemper eodem ſe habent modo, nec nunc aliter, pauloposſt uero diuerſè, ut ſingularia. alia enim maculoſi equi, aliaque flaui natura eſt, quemadmodum & Platonis: & Alcibiadis. Vniuerſalis uerò homo & uniuerſalis equus eodem modo ſemper ſunt, omnis enim equus quadrupes animal eſt, & hinnire poteſt. omnis etiam homo animal eſt rationale mortale, ſimiliter de cane, & aliis ſpeciebus animalis dicendum eſt. Cum itaque has formas, & iis concluſa humana conſideratione neceercipi, nec circunſcribi poſſe comprehenderent (Nihil quippe mirum uideri debet multa nobis animalia incognita eſſe) ad quandá animalis communitatem, reliqua omnia ſingulatim continentem deuenerunt. Atqui & homo animal, equus, atqꝫ canis, reliquaqꝫ quatenus animalia nihil differunt, Omnia enim hæc naturam animatá, ſenſuſqꝫ participé habent. Qui igitur qd an

mal ſit, cognouerit, omnia animalia percipiet. A ficu pariter, planoq; , atq; uite ſeſe ad uniuerſalem ficum, platanum, uitemq; receperunt. de reliquis plantis eodem modo. hæc rurſus, aliaq; ſub plantam commune genus adduxerunt, quæ ſingulas plantas contineret, Duas igitur communitates animalis habent, & plantæ. Animal præterea plantamq; ſub animatum. Planta quidem anima prædita eſt, quoniam augetur, & nutritur, ſimilemque generat ſui: Sed quoniam animato inanimatum contrarium eſt, inanimum enim eſt, quòd anima caret, ut lapis, lignũ iisq; ſimilia (Multa etenim hęc ſingularia ſunt, & infinita) à ſingulis lapidibus ſe ad uniuerſalem lapidem tranſtulerunt. ſeque à ſingularibus lignis, ad uniuerſalia ligna, & ab huius generis reliquis, & uniuerſali lapide, & uniuerſali ligno ſub commune genus inanimatum, quod hæc habet omnia, contraxerunt. duas igitur habent communitates, animatum, inanimumq; hæc rurſus ſub commune genus corpus, quòd tres dimenſiones habet. Lapis ligna, homo, quæque ſimpliciter corporata ſunt tres habent dimenſiones, Item angelos animasq; , & iis ſimilia ſub communitatem quandam incorporei, quod corporeo opponitur, redigerunt. hoc enim tres dimenſiones undiquè pares habet. hoc uero omnino & dimenſionibus, & partibus caret. Quærentes itaque quod utriſq; commune eſſet genus, ſubſtantiam utrunque eſſe inuenerunt. Corpus enim ſubſtantia eſt, & incorporeum, ut anima, angelus, Deus: ſe igitur ad commune genus ſubſtantiam auocarunt. cum præſertim ſubſtantiæ nomen rem per ſe ſubſiſtentem manifeſtet. Sed hæc ex contrariis percipimus. Nonnullæ quidem res ſunt, quæ conſiſtere nequaquam poſſunt: Sed id ſibi comparatum eſt, ut in aliis ſint, ut candor, dulcedo, nigrorque, & huiuſmodi, quæ uocantur accidentia, hæc enim ipſa per ſe ſe conſiſtere non ualent, uerum candor uel prorſus in fuco eſt, uel lacte quæ corpora ſunt. Quæcunque igitur ſuis ipſorum uiribus cõſtiterint, neque alterius cuiuſquam indigeant, ut homines animæ, lapideſq; , ſubſtantiæ dicentur, quæ quidem omnia (ut dictum eſt) ſub quãdam communitatem, ſubſtantiam ſcilicet, reducuntur. Num igitur omnia quæ ſunt, à ſola continentur ſubſtantia? eaq; potiſſimum de cauſa omnium cognitionem philoſophus habere poterit? nequaquam. uerum enimuerò reſtabant duo, quædam, & decem, & uiginti, quæ ſub numerum, commune genus adduxerunt. Item magnum aliquod & paruum inueniere, quæ continua nominarunt. & quoniam numerum, & continuum, quatenus quanta, mutuò communicari uiderunt (utrunque enim quantum eſt) ſub uniuerſale quantum contraxere. Duas igitur communitates, quæ multas res complecterentur. Subſtantiã ſcilicet habebunt & Quantum. Erat inſuper candidum, & multi ſingulatim candores, album enim in fuco eſt, niueq; , & cygno. hæc igitur omnia albo ſimpliciter ſubiecere, nigrum ſimiliter, & ſuluum, quæ ſub colorem conſtituerunt. Erant rurſus dulce, amarum, calidum, & frigidum, quæ ſub omnibus commune genus Quale poſuerunt. Quale id eſt, quo cum quiſpiam participet, denominatur, ut à candore candidus, à ꝗ grammatica grammaticus. Dextrum præterea ſiniſtrumq; , duplum, & dimidium ſupererant, quæ ſub horum commune genus Ad aliquid conſtituerunt, quod eſt, alterius ad alterum habitudo. Rurſus in Lycio eſſe, & in ſoro, hiſquè ſimilia, quæ ſub ipſorum commune genus Vbi, quòd locum ſignificat adduxerunt. Erant item hodie heri, poſtridie, cras, quæ ſub Quando tempus ſignificans conduxere. Necnon erant recumbere, ſtare, ſedere, quæ ſub Situm, qui corporis ſtatum ſignificat, poſuerunt. Veſtiri etiam, armatiquè, & annulum geſtare, quæ ſub ipſum habendi genus collocarunt. quod ſubſtantiæ ad ſubſtantiam eſt appoſitio. Supererat adhuc uerberare, calefacere, & frigidum reddere, hæc ſub Actionem contulerunt. Reliquum demum fuerat, quòd uerberari, uexari perturbari conſpexerunt, quæ ſub Pati quòd alterari (uide quàm me uocabuli ſignificatio cogat) ſignificat, adduxerunt. Agere autem eſt, in aliquid agere. Hæc igitur decem genera, ſubſtantiam ſcilicet, Quantum, Quale, Ad aliquid. Vbi, Quando, Situm, Habitum, Actionem, atque Affectum habebant, ſub quibus, quæcunq; eſſent, continebantur. Prædicamenta itaque dicta ſunt, quòd de iis, quæ ſub ſe contineantur, predicentur. Scripſit itaq; Ariſtoteles librum de decem his predicamentis, & harum quinque uocum Generis ſcilicet. Speciei, Differentiæ, Proprii, & Accidentis meminerat. eaq; nobis, quoniam in conſuetudinem non uenerant, incognita erant. Philoſophus porrò Porphyrius boni uiri, & philoſophi munere functus hunc libellum compoſuit, in quo nos docet, quid quæque illarum uocum ſignificet, ut cum hæc didicerimus, commodius, quæ ab Ariſtotele de decem prædicamentis tradita ſunt, aſſequi poſſimus. Porphyrii igitur intentio hæc eſt. Librum introductionem inſcripſit, quoniam ad omnem philoſophiam eſt uia. Omnes enim

nes enim uerò libros, qui de philoſophia compoſiti ſunt, prædicamenta præcedunt. ante hæc huiuſmodi Porphyrii introductio. Nam ut philoſophi omnia quæ ſunt, ſub decem communitates reduxerunt, & nihil ſit eorum quæ ſunt, quod ſub iis adductum non comperiatur, ſic & grammatici de quinque uocibus fecerunt. Cum enim uocum infinitionem conſequi non poſſent, quaſdam uoces, ſub quandam nominis, & alias ſub uerbi communitatem adduxerunt. & hoc modo octo apud ipſos orationis partes conſtituere. Eundem ſecutus ordinem Porphyrius, omnem ſignificantem uocem, præter ſignificantia indiuidua, ad quinque uoces reduxit. ſub quas omnes uoces quæ ſignificant, reducuntur. In quot igitur, quáſue partes unaquæque philoſophiæ pars diuidatur, & quem finem habeat demonſtratum eſt. Nunc ea, quæ cum omnes philoſophorum libros auſpicamur, prædicenda eſſe ſtatuunt, præfari opere pretium eſt. ea uera ſunt, Intentio. Vtilitas. Opus ſit ne legitimum. Ordo doctrinæ. Inſcriptionis cauſa. Capitum diuiſio. Doctrinæ modus. & tandem ſub quam philoſophiæ partem referatur. Hęc uerò philoſophi prædicenda eſſe ea de cauſa duxerunt, non ut quicquam ultra ac ſolitum eſt in aliis artibus fieri, excogitarint, ſed ut promptiores redderent lectores. nam libri propoſitum ignoratum in cauſa eſt, ut lector remoretur, & in medio deſiſtat, hæcque patiatur, æque ac illi, qui uadunt, quo neſciant. Ea igitur de cauſa propoſitum dicunt. Verum ſi quis intentionem tantum cognouerit, promptius opus non aggredietur, niſi quid utilitatis inde percepturus ſit, didicerit. Quare meritò quoque utilitas indicanda eſt. Hæc ubi cognouerimus, nihil utile fore credemus, niſi prius librum legitimum ueteris alicuius fuiſſe perceperimus, quem probatum eſſe ſciamus. Veluti Ariſtotelis, & Platonis, a quibus nihil, niſi fructu refertum, dictum eſt. ob id etiam num legitimus ſit, aperimus. Ex horum cognitione oritur de ordine dubitatio, ubi nam collocandus ſit, prius ne, an poſterius, Quod ni cauſa eſt, ut de ordine diſſeratur. Inſcriptionem inſuper dicunt, quoniam ueluti in breui quodam compendio libri propoſitum continet. Præterea ad quam philoſophiæ partem nos ducat. ut ubinam maxime conferat, percipiamus. Quoniam indicatum eſt, qua ratione commoti philoſophi hæc præſentur, occaſio nobis ſuadet, ut huius libri prædicenda dicamus. ¶ Porphyrii itaq; propoſitũ eſt, de quinquæ quibuſdam uocibus differere, ſub quibus omnia, quæ ſunt continentur. Sunt enim hæ, Genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens. ¶ Hic ad omnem philoſophiam utilis eſt liber. cum nos doceat, quæ per ſe ſpeciebus adueniant, quæ in cauſa ſunt, ut conſiſtant. Nam propterea quòd cauſæ ſubſiſtant, demonſtrationes accipere ſolemus. Demonſtrationes igitur docet, et ad philoſophiam uniuerſam utilis eſt. nam propter demonſtrationem ipſius finem cognoſcimus.

Legitimum uerò Porphyrii eſſe, tum ex ipſa elocutione, tum etiam quoniam ſæpius alibi de iis, quæ in hoc libro præcepta tradidit, mentionem fecit. Chryſaorium alloquitur, cui multos, præter hunc, libros dicauit. hac potiſſimum de cauſa. Docebat Chryſaorium Porphyrius, cumque ſibi mathematica declararet, rogauit is Porphyrium, ut de ætneo igne componeret hiſtoriam, & deinde peregrinatus eſt. Illis temporibus. in Ariſtotelis prædicamenta Chryſaorius incidit quæ cum legens non aſſequeretur, hac de re Porphyrium illic fortè commorantẽ certiorem fecit, quòd ſi ignis hiſtoriam perfeciſſet, ad ſe accederet. ſin minus aliquid reſcriberet, ut librum Ariſtotelis intelligere poſtea potuiſſet. Cui cum Porphyrius amplius recuſare non poſſet, ſibi hunc reſcripſit libellum. A Platone enim hæc ferme collegit, per eademq; per uerba proceſſit. ex quo manifeſtum eſt, ueteris authoris eſſe legitimum.

In ordine principem obtinet locum. utpote cum nos ad Ariſtotelis prædicamenta introducat, quæ de ſimplicibus uocibus ſunt. quæ quidem logices ſunt initia. Ordine igitur logices eſt primus iure itaq; illis præponitur hæcq; de ordine ſufficiant. Introductio inſcribitur. Nõnulli hinc dubitant, cur non definite inſcriptus liber eſt, Introductio. incertum enim eſt grãmatices ne ſit, an rhetorices. Quibus reſponſum uolumus. Solere nos rerum excellentiora indefinitè ſignificare. ut ſi Homerum dicere uoluerimus. Poëtam per excellentiam dicemus: Quid igitur uolentẽ philoſophiam ſignificare indefinite per excellentiam dicere prohibuit?

Additus rurſus. Introductio uel artis, uel ſcientiæ dubio procul eſt introductio, ſed philoſophia artium ars eſt, & ſcientiarum ſcientia. Quo nam pacto ſatis conuenienter poterat, qui nos ad illam introducturus erat, per quam ad cæteras omnes artes introducimur (ſi uera eius eſt definitio) unius tantum artis introductionem librum inſcripſiſſe. de inſcriptione hactenus. Diuiditur liber hic in partes treis. In prima enim de ipſis quinque uocibus docet. in ſecunda eaſdem componit dupliciter. & quid illis commune ſit & proprium indicat, ut uidelicet, quid

commune generi, quid ſpeciei. quidq; proprio, nec non differentiæ, & accidenti ſit. In tertia quid mutuo commune habeant. Sed antequam hæc aggrediatur, in prooemio libri intentionẽ promit. utileq;, ac docendi modũ oſtendit, qui quidẽ ſimplex erit, & introducendi more.

Sub logicen, quæ philoſophiæ inſtrumentum appellatur, hunc librum reducit. quæ docet, quid ad demonſtrationis principium conferant, cuius genus eſt ratiocinatio: quæ compoſitæ orationis eſt forma. cuius præterea genus eſt oratio.

Ad Ariſtotelis poſtea prædicamenta ducit, quæ ad logices facultatem ſpectant. quæ quidem diſſerendi ratio philoſophiæ pars non eſt, ſed inſtrumentum. ut in reliquis demonſtrabimus.

CVm neceſſarium ſit Chryſaori.

Quæcunque ſunt, ſuapte natura bonum appetunt. Rerum namq; omnium bonum eſt origo. omnia igitur ad bonum, ueluti proprium bonum excitantur. à quo unaquæque res, cum eius plus, minusue ſecundum ſuæ capacitatis menſuram particeps ſit, perficitur. Malum igitur expetit nemo, uerum qui malum ſibi aſciſcunt, id ipſum tanquam bonum apprehendere uidentur. Quando igitur aliquis quempiam ad aliquid hortari uoluerit, bonum ſibi inde prouenturum oſtendit, ut ea de cauſa in ſuam illum ſententiam trahat. Porphyrius itaque cum uelit iuuenes ad libri lectionem conuertere, principio bonum ex hoc futurum indicauit. Verum quoniam bonum duplex eſt, alterum ut finis, ueluti cum ſanitatem bonam dicimus. alterum, ut ad finem, cum uidelicet uenam laxare, non reſpectu ſui, ſed ſanitatis bonum eſſe affirmamus. hoc tamen loco NECESSARIVM non ut proprie bonum, ſed ut ad maius bonũ referendum eſt. Eo enim modo, quo dicimus, ſi ſanitati uis reſtitui, uenam tibi incidi neceſſe eſt. hoc proinde modo neceſſarium dixit, quoniam hic liber ad prædicamenta, tanquam ad aliquem finem referatur, neque bonum eſt, ut finis ſed ad aliud collatum, & ut breuius dicam, Neceſſarium hunc librum dixit, ueluti ad maius quoddam bonum ducat. & ſic utilem fore. Vel per ſe ipſum neceſſarium, cum fieri non poſſit, ut hoc ignorato, philoſophorum libros percipiamus.

Duplici modo neceſſarium apud philoſophos accipitur, uel neceſſarium, tanquam utile, uel ut contingenti oppoſitum. Vtile illud appellant, quod alterius gratia ſumitur, ut ueſtiri, exui; hæc enim eò ſumuntur, quo minus corpora detrimenti patiantur, & ob id longiorem uitam degant. Neceſſarium contingenti oppoſitum eſt, ſine quo ſubiectum eſſe non poteſt. animalia pulmonem habentia continuò reſpirare, ut uiuant neceſſarium eſt. reſpiratio igitur neceſſaria eſt. Quoniam animalia pulmonem habentia abſque reſpiratione uiuere nequeunt. Liber igitur hic uel priori ſignificatione, uel poſteriori neceſſarius dicitur, ſed ſecunda fieri non poteſt; quoniam illi, qui Porphyrium præceſſere, philoſophorum ſcripta non ignorarunt. patet enim librum hunc tanquam utilem dictum eſſe neceſſarium utpote philoſophiæ præcepta nobis reddat manifeſtiora. nunquam uerò ex poſteriori ſignificatione neceſſarium librum dicemus, quoniam illa ſine hoc percipi non poſſe ſequeretur. Neceſſarium hoc loco nõ ex libro. Sed quinquẽ dictarum uocum contemplatione intelligendum eſt. Quæ niſi percipiantur nunquam reliquæ diligenter intelligentur. Quare Porphyrius non librum hunc, ſed quinque uocum ſpeculationem dixit neceſſariam eſſe. Atqui antequam id ſcriberet Porphyrius harum uocum doctrina ad philoſophorum contemplationes fuerat neceſſaria, ſine qua illæ intelligi non poſſunt. Huius itaq; libri utilitas eſt ut quæ diſperſè ab antiquioribus dicta fuerunt hic colligantur. illorumq; cognitionem nobis faciat breuiorem & faciliorem. Quare non ſibi inuentionem hanc Porphyrius aſcribit. VERVM, inquit, QVÆ AB ANTIQVIORIBVS DICTA SVNT, ADDVCEARE CONABOR. In prooemio de tribus iis diſſerere Porphyrium animaduertimus, dicit enim libri propoſitum, quando de illis quinque uocibus ſe dicturum pollicetur. Quidq; utile, cum non ſolum ad Ariſtotelis prædicamenta, ſed (ut ſumatim dicam) ad omnem inueſtigandæ philoſophiæ uiam utilem indicet eſſe. Illo ſe doctrinæ genere uſurum promittit, quod facile ſit, cõueniatq; iis, qui primum inſtituendi ſunt. nihil enim addit, quod introductionis modum excedat. neq; eſt in ſcribendo prolixus, neq; dicendi genere obſcuro utitur, quibus omnibus deterreri aliquando adoleſcentes ſolent. Illa enim coniunctio ET. nobis indicat non ad Ariſtotelis modò prædicamentorum doctrinam hunc librum ſumendum eſſe, uerum etiam in philoſophiam uniuerſam.

Alio præterea modo ARISTOTELIS PRÆDICAMENTA dixit, ut innueret non modo ad Ariſtotelis prædicamentorum doctrinam conferre, ſed ad alia, etiam prædicamenta. Pleriq; Ari-

ſtotelis commilitoṅes ad magiſtri æmulationem de prædicamentis, de quæ interpretatione, & reſolutione conſcripſerunt. Adiuuat igitur nos non ſolum ad Ariſtotelica prædicamenta, ſed & Archytæ, & aliorum, qui accuratè de philoſophia tractarunt.

Nonnulli in ipſo ſtatim principio dubitant, CVM NECESSE SIT quæ quidē præter rationem, & infirma dubitatio eſt, uerum relatu digna, & propter ſpeculationem ſolutionis, à qua dilucida redditur, ualde utilis. hoc modo. Eius quod eſt, aliud neceſſariū, aliud eſt, quod contingit. aliud uerò ineſt. Neceſſarium id eſt, quod ſemper eodem ſe habet modo, eſtq; de neceſſitate. ut ſole ſupra terram deambulante, dies eſt. Illud uerò quod contingit, tum eſſe, tum non eſſe poteſt. ut legere, & non legere, nunquam enim ubi unum ponetur, eſſe poterit & alterum: niſi potentia conſiderabitur. Quod uero ineſt, illud eſt, quod actu & modò eſt. idq; quod præſens factum eſt. Illud itaq; EST. non eſt omnibus iis æquale. non enim conuertitur, ut cū unum ſit, alterum uiciſſim inferat. ut proprium & definitio, quæ mutuò ſubiecta, eſſe poſſunt: & prædicata. Hæc enim duo proprium ſcilicet, & definitio cum fuerint prædicata, ſubiectis, cum uero ſubiecta, prædicatis ad æquatur. Alterum enim prædicatum eſt, alterum ſubiectū. Sed ſubiectum quale eſt, qualeúe prædicatum? Subiectum inquam appoſito articulo dignoſcetur. prædicatum uero in quo ipſum EST uel actu uel potentia cōiungitur. Omnia enim prædicata uel nomina ſunt, aut uerba, nominibus quidem uox actu, uerbis autem potentia connectitur. ut ſi dixero homo ſubiectum dico. quod ſi animal eſt, addidero, prædicatum dicā. EST. igitur omnibus æqualiter non eſt. nec prædicatum ſubiectumq; neceſſario. uel ei quod contingit, & ei quod ineſt. Sed latius, communiusq; erit. Non enim conſequentia quadam ſeſe mutuò inferunt. quoniam quicquid neceſſarium eſt, uel cōtingens, uel id quod ineſt, idipſum quod eſt, dicitur. Econtra uerò, ſi quid eſt, id non ſemper uel neceſſarium eſt, uel id quod ineſt, & quod contingit, immo ſi illorum aliquid fuerit, nullum aliorum eſſe poterit. ueluti ſi quid contingere poterit, id neq; neceſſarium eſt, neq; id quod præſens eſt. Quare cum id, quod eſt, ad conſequentiam non conuertatur, longe amplius erit neceſſario, contingenti, & eo, quod ineſt. Quid igitur fuit in cauſa, cur Porphyrius, qui omnia prædicata uel maiora eſſe uelit ſubiecto, uel æqualia, nunquam autem minora, Neceſſarium quod minus eſt illo, quod eſt, quod quidem eſt amplius, fecerit eſſe prædicatū? quippe qui ſic dicit. CVM SIT NECESSARIVM. Reſpondebimus igitur, uerissimum eſſe, minus de maiori prædicari non debere, ſed id quod eſt neceſſario communius eſſe nequaquam: illa proprie latiora communioraq; ſunt nomina, quæ de multis prædicantur, & in multis conſiſtunt. Quædam enim res eſt, quæ per ſe ſe conſiderata propriè conſiſtit, ut animal, quod de cane, homine, equoq; prędicatur, in quibus etiam ſubſiſtit & propriam per ſe intellectum, naturam habet. Animal igitur definimus, & ſubſtantiam animatam ſentientem eſſe dicimus. Sed quoniam omnia propriæ non conſiſtunt. Sed æquiuocæ uoces ſunt, ut canis & Aiax, & id genus, quæ minime communia nomina dici debent quippe quæ tenues uoces & non res ſunt. Oportet quidem id, quod aliquo communius ſit, prius per ſe eſſe, altero deinde communius erit. Id quod eſt, cum in ſe non exiſtat, ſitque dūtaxat cum neceſſario, atq; contingenti & eo, quod ineſt, nominis communitate conueniens, nullo illorum amplius erit. Vox enim tenuis eſt. Illud præterea.

Si cōmunius eſſe uelint, tāquam genus dicent, ſed genus eodem tempore diuiſum in ſe, ſpecies continet. quas æque ſubſiſtere facit, & unam non permittit altera priorem eſſe, uel poſteriorem. Vno igitur, eodemq; tempore neceſſarium eſſe contingens, & id quod ineſt, confiteri cogentur, quod quidem abſurdum eſt. Nam neceſſariū ſemper eſt, cōtingens autem & quod ineſt, aliquando. Id itaq; quod eſt, dictorum genus non erit. neq; de neceſſitate communius. Eſt quidem id, quod eſt, æquiuoca uox, & non genus. immo neq; natura aliqua determinata, & ſeparata, quæ in uno quoque ſingulatim ſit, ut genus eſſe poterit.

Item. Res oēs uel determinatæ ſunt, uel non. Quatuor ſunt determinationes, omnis, aliquis, non omnis, nullus, & ea de cauſa determinatæ dicuntur, quoniam ex iis determinatur, ſi quid de aliquo uniuerſali, aut ſingulari definitur. Si quiſpiam, omne, dixerit, uniuerſale, ſi uero, aliquis, ſingulare ſignificabit. Ab omnibus penè philoſophis ſingulare non determinatum, æque ac determinatum ualere demonſtratum eſt. ut aliquis homo uenit, idem ſit, atq; hoc, homo uenit. Quod cum ita ſit, Porphyrius non determinatè dicens CVM SIT NECESSARIVM, neq; omne, apponens, Illud SIT ſingulariter accepit, ac ſi dixiſſet CVM ALIQVID SIT NECESSARIVM. Nam id quod eſt particulatim ſumptum, æquale eſt neceſſario. ut etiam ipſi faten-

tur. Quare ſi id quod eſt, non tenuis uox ſed res proprie ſubſiſtens fuiſſet, ut animal, non peſſime de eo neceſſarium non determinate prædicari poterat.

Præterea quando res ſignificare uolumus, per rectum caſum id facere hoc modo ſolemus, homo, equus, bos, quando uero rei partem, uel quod circa rem eſt, per genitiuum caſum, ut ſi diximus ſocratis, aliquam ipſius partem, ut manum uel caput, uel aliquid circa eum exiſtẽs, ut domum, & librum ſignificabimus. ſi itaq; rectum caſum dixiſſet Porphyrius rẽ planè ipſam ſignificaſſet. Sicq; æqualiter uideretur partem de uniuerſo prædicari. Sed quoniam obliquum dixit, uel rei partem, uel circa rem aliquid ſignificauit. Pars enim eorum, quæ ſunt illius, quod eſt, neceſſario eſt æqualis, ut homo æqualis alicui animali eſt, & manus alicuius hominis partis æqualis eſt. Quamquam itaq; propriè id quod eſt, conſiſtere qoiſpiam propter hanc rationem dixerit, non tamen carpendus eſt Porphyrius, ueluti male neceſſarium de eo, quod eſt, tanquam de æquali predicari fecerit.

Rurſus id quod eſt genus non eſſe neceſſarii, cõtingentis, & eius quod ineſt, neq; inſuper ſubſtantiæ, accidentiſq; & reliquorum prædicamentorum demonſtrabimus.

In quibus aliquid prios eſt, & poſterius commune de iis prædicatum genus non eſt. Genus enim ſpecierum eſt genus. ſpecieſq; ab eodem tempore per ſe ſubſiſtunt, & in ipſis unaquæq; habet ut ſit, non autem in aliis. Accidens ſi ſubſtantia poſterius ſit, & ab illa habet, ut ſit, & contingat, erit contingenti poſterius, In illo enim habet ut ſit. æquiuocè igitur de iis, non uniuoce id quod eſt, prædicabitur. non enim eſt genus, cum in iis prius, ac poſterius eſſe uideatur. unde patet accidens in ſubſtantia conſiſtere, & in contingenti id quod ineſt, ſed non in eiſdem. Quoniam ſublata ſubſtantia & contingenti, accidens, & id, quod ineſt ſimul auferentur. Si uero contradiuidantur ſpecies ipſius, quod eſt, in quibus ipſum non ſit, minime iis ſpeciebus ſublatis, ueluti ſubſtantiæ & contingenti, ſimul remouebitur & reliquum. Nam etſi canis ſpecies corrupta ſit, hominis, equi, bouiſq;, & aliorum ſpecies non interminent. Alienam quæſtionem abſurdam, noſtramq; ſolutionem concinnam fuiſſe demonſtratum eſt.

Verum principium adhuc aliqui damnantes aiunt. Id quod eſt, æquiuocum eſt, æquiuocum indefinitum eſt, id igitur quod eſt, indefinitum ſit. at principium ab indefinito ſoſcipere non decet. *Quibus id quod eſt, non æquiuocum eſſe*, ſed uelut illud quod quibuſdam prios, quibuſdam uerò poſterius conuenire poteſt, reſpondemus. utpote à medicina, cuius & librũ dicimus, & inſtrumentum ad unom enim quod medicina eſt, medicinæ inſtrumentum, & pharmacum reſpiciunt. Quid autem ſit illud, quod ab uno eſt, uel quod quibuſdam prius, nonnullis poſterius conueniat, quod analogum uocant, in prædicamentis ſciemus. Qua de re id quod eſt, neceſſario præpoſuerit, tribus factum eſſe cauſis demonſtrabimus, prima, ut uniuerſalius præponeretur, ſecunda ut eſſet elegantior. Nam ſi dixiſſet neceſſario exiſtente, non adeo uocalis, ob hiatũ, fuiſſet locutio. tertia hæc eſt, ut à generaliſſimis (ut aiunt) incipiamus hanc igitur ob rẽ Porphyrius uolens à generaliſſimis initium ſumere, id quod eſt, neceſſario præpoſuit.

Quærent præterea cur aot bonum, aot utile non dixerit, ſed neceſſarium. ad quod cum duplici diuiſione dicemus. Bonum utilemq; ſibi mutuò cohærere ſciendum eſt. Biſariam utile diuiditur. in utile generi æquiuocum, & in neceſſarium. bonum id eſt, quod cauſa ſui expetitur, ut felicitas, pietas. At utile eſt, quod neceſſario opponitur, quod ſi adſit, non ſeruat, & ſi abfuerit, non corrumpit, ut hæc ueſtis. Neceſſarium inſuper duplex eſt, uel quod per ſeipſum appetendum, nihilq; à bono intereſt, ut felicitas, ſanitas, uel quod alterius cauſa ſuſcipiendum eſt. ut uenæ inciſio, medicinæq; potio. Prima huius ſignificatione quinq; uocum cognitio neceſſaria eſt, utpote quæ nos ad predicamenta, omnemq; diſſerendi rationem & uiam inducat.

Sex modis dicitur neceſſarium, tanquam materia, ut rationale homini, Per ſe fugiendum. Alterius cauſa deſiderandum. Per ſeipſum optabile. Dicitur rurſus, neceſſarium, quod nec per ſe expetendum ſit, nec fugiendum, ſed alterius gratia recipiendum, ut quædam medicinæ potiones. Illud demum eſt neceſſarium quod ſoi ipſius gratia, necnon alterius amplexandum ſit. qua ſignificatione liber hic ſui, & alterius gratia neceſſarius dicitur.

Cum ſit neceſſarium Chryſaori, & ad, eam, Quæ tradita eſt ab Ariſtotele prædicamentorũ doctrinam, Quid genus ſit. Differentiaq; et ſpecies, propriumq;, et accidens cognoſcere.

Quoniam Ariſtoteles in prædicamentis de generaliſſimis decem uocibus diſſerit, haſq; differentiis, & propriis ſeparat, Generumq;, & differentiarum, & propriorum illic mentionem facit,

generis,

generis, differentiæq;, necnon proprii, & ſpeciei cognitio illarum perceptionem uocum reddet faciliorem. Coniunctione ET uſus eſt, ut non modo ad Ariſtotelis prædicamenta utilem hūc librum oſtenderet. Sed ad ea etiam, de quibus paulo poſt dicet. Volunt nonnulli ET poſuiſſe, ut etiam ad Archytæ prædicamenta utilis eſſet harum uocum cognitio, quod quidem abſurdū eſt, cum Porphyrius reliqua, ad quæ conferat, ſtatim declaret. Differentiam ſpeciei præpoſuit, quoniam ordine doctrinæ prior eſt. Sed cur genus in doctrina prius conſtituerit, ſuo loco dicemus. Nunc ea, de quibus tractaturus eſt Porphyrius, recenſeamus, hæc itaq; ſunt, Genus differentia, ſpecies, proprium & accidens. Quòd ſi cognoſcere uoluerimus, cur hunc in ordinē uoces has ſic Porphyrius redegerit (id enim haud temere factum, putandum eſt) Paulo altius incipiemus. Vniuerſalia quædam & ſingularia in rebus eſſe ſciendum eſt. ſed quoniam ſingularia corrumpi, peneq; diſſolui oportebat, Natura generalius quoddam hæc omnia complectens, & eorum formas ſeruans excogitauit, genusq; hoc, aut ſpecies, appellatum eſt. Vt autem horum ignari non ſimus, & ordinis cauſam cognoſcamus, ſingula tanquam in exemplo quodam exponemus. Socratē, Platonem, ac cæteros ſingulos homines, flauum ſimiliter, & maculoſum hunc equum, & illum, ſingularia, & indiuidua philoſophi uocarunt. Illa proxime quæ ſingularia cōprehenderent. ut uniuerſalis homo (continet enim omnes ſingulatim) ſpecies proximas appellauere. Quæ rurſus ipſas ſpecies continerent, genera dicta ſunt. ut animal, quod hominē & equū comprehendit. Horum mediæ ſunt differentiæ. Differentia eſt, ut dicet Porphyrius, quæ alterū ab altero diſtinguit. hac potiſſimum de cauſa differentia in rebus apparet, ſed quoad genus nullam differentiam eſſe manifeſtum eſt. ut animal genus cum ſit, per ſe alterum ab altero non differt. hæc enim omnia, bos, equus, canis, & homo animalia dicuntur. Quod ſi animalis, aliud rationale, aliud rationis expers dixeris, differentiam conſtitues, per quam homo ab equo, boueq;, & reliquis, quæ ſunt rationis expertia, differre uideatur. Rationale id dicitur, quod mente ducitur, & ratione, ut homo, angelus, Rationis expers, quod præter rationem uiuit, & iudicium, ut equus, bos, & iis ſimilia, quæ ratione carent. Quare ſingularior genere differentia eſt. Speciebus autem uniuerſalior. ut rationale, & mortale, magis ſingularia ſunt, quàm animal. cum ab continentur. Differentia uniuerſalior ſpecie eſt. quoniam rationale plus in ſe, quàm ſpecies continet, angelum ſcilicet, & hominem. Rurſus, ſingularior eſt genere differentia, quatenus ſub genus cadit. ſpecie uniuerſalior, quatenus duo hæc rationale, & rationis expers amplectitur, ſub qua animalia omnia ſimul cadunt. Species unum tantum comprehēdit, ut hominem. equum, & alium quempiam. Proprium uni ſpeciei tātummodo & omni ineſt ut homini proprium ſit, riſui aptū eſſe. Sibi enim ſoli, & omni, & ſemper ineſt. Accidens eſt, quod abſq; aliquo detrimēto abeſſe poſſit ab eo, in quo ſit. ut album, nigrum, ſtare ſedere.

Horum igitur quædam rerum naturam perficiunt, quædam extrinſecus adueniunt. Genus ſpecies & horum media differentia ſubſtantiam complent. quæ quidem ſubſtantiam dare dicuntur. hæc enim animal complent. Vnumquodq; profecto trium iſtorum particeps eſt. ut Socrates quatenus animal eſt, genus habet, quā rationale, & mortale, differētiam. quatenus homo ſpeciem. Similiter Plato, & Alcibiades. Alia duo haud quicquam ſubſtantiæ cōferre, & extrinſecus aduenire dicuntur, ea ſunt proprium & accidens quoniam ad ſubſtantiæ ſubiectæ rationem nihil conferunt. Ex quibus, proprium illis, quæ ſubſtantiam conferunt, proximius eſt, quoniam alicui ineſt. Accidens remotius contingit. quandoquidem partim ineſt, partim abeſt. Huiuſmodi ſeparari poſſe dicuntur. quoniam ſeparata ſecundum cognitionem nihil hominis minuunt naturam. Quod ſi ita eſſet, nigros homines non eſſe homines, dicere oporteret. quod abſurdum uidetur. ac ſi ridendi facultatem abiiceremus, nihil minus tamen eſſemus homines, cum omnes hominis actiones exercere poſſemus. Iis igitur ſic habentibus quonam ordine progreſſus ſit porphyrius animaduerte.

Illa enim quæ ſubſtantiā perficiunt conferuntq;, præpoſuit Secundo loco, quæ nequicquam prebeant ſubſtantiæ. Ex iis iterum quæ ſubſtantiam dant, genus, ut uniuerſalius, primum obtinuit locum. Differentiam deinde, tanquam genere ſingulariorem, ſpeciem poſtea ueluti differentia minus ſingularem locauit. Illorum quæ nihil afferunt ſubſtantiæ, proprium cum proximus ſubſtantiæ ſit, accidenti præpoſitum eſt, & dictis magis cognatum. Accidens ultimum ſortitum eſt locum, ueluti predictis non communicans, & tanquam ipſum ſolum adſit, abſitq; præter rei ſubiecte interitum.

Quærere dignum eſt, quomodo nam accidens generi & ſpeciei ſit oppoſitum, cum in gene-

ra, & ſpecies diuidatur. Dico igitur aliud eſſe unumquodq; quatenus habet ut ſit, cõſiderare & aliud quod ad ſuſcipiendam habitudinem ad aliud ſumptũ ſit. Quando enim ipſum per ſeſe qđ ſit, conſideramus, hoc quidem ſubſtantiam, Illud uerò quantum, aliud quale eſſe, & reliqua, dicimus. Verum quando ad prædicamenta, quæ poſt ſubſtantiam ſunt, reſpicimus, tanquam per ſe non ſubſiſtant, ſed illius indigeant, ut ſint, ea ſubſtantiæ accidere affirmamus. Rurſus in uno quoq; prædicamentorum, ſi uniuerſalius & ſingularius, & illud in quod ſingulariora a generalioribus diſtinguuntur, proſpiciatur, horum alterum genus, alterum differentiã, alterũ uero ſpeciem appellamus ut ipſum aliter conſideratum, genus dicatur, ſpeciesúe, aut differentia. per quę ea differũt, q̃ circa prædicaméta ſunt. Alio quoq; modo. Aliud eſt ſubſtantia. aliud uero accidés.

Et ad definitionum traditionem, & omnino ad ea, Quæ ad diuiſionem, & demonſtrationem pertinent, utilis horum ſit contemplatio.

Hic primum Ariſtotelis & Platonis differendi artem diuerſam eſſe ſciendum eſt. Ariſtoteles opiniones probabiles quinq; modis (ut in argumentorum ſedibus oſtendit) affectať. Plato quatuor tantum, diuiſione ſcilicet. definitione, demonſtratione, & reſolutione. Hoc igitur compendium & ad definitionum traditionem, & ad ea, quæ tradita ſunt de demonſtratione, & diuiſione utile eſt. Confert uidelicet ad Platonis differendi artem. Quod ſi ita eſt, ad philoſophiam uniuerſam adiuuabit, cuius partium alia in diuiſione eſt, alia definitiua, alia demonſtratiua eſt. quæ ſupereſt in reſolutione uerſatur. huius loci ſenſum ſic intelligendum eſt. ac ſi dixiſſet Porphyrius hunc libellum nõ modo ad philoſophorum libros, uerúm & ſi nulla illorum extarent ſcripta, philoſophis ad quarumcunq; rerum inueniendarum uiam conferre. Sed ſingula ſuo ordine dicamus.

Illius quæ in diuiſione eſt, propoſitum genus recte in proprias differétias diuidere opus eſt. Diſtingues autem hoc modo, animal in rationale, & ratiõis expers, mortale, & immortale. ſed nõ ſic, animal aliud homo eſt, aliud equus, & aliud hoc quidpiam, atq; etiam illud. Illos enim ſic dicentes coquis male fruſtra ſecantibus, & obſonia non membratim diſtinguentibus, hoc eſt, imperitis, rudibuſq; hominibus ſimiles eſſe diuinus affirmauit Plato.

Proprium definitiuæ eſt, unicuiq; rei proprie definitionem dare. Principem diuiſionem ars definitiua conſequitur quoniam ea utitur definitio. cum ex generibus, & conſtituentibus differentiis fiat. Is igitur, qui definiet, ex diuiſo genere aſſumet, quæ definitioni proſunt. ueluti ſi ex hac animati diuiſione in animal & plantam, & animalis in rationale & rationis expers, mortale, & immortale excerpere hominem definitor uoluerit, rationale, & mortale animal excipiet.

Demonſtratiue munus eſt, ex propria ſubſtantia res demonſtrare. non quomodo oratores ſolent, qui ex probabilibus, & perſuadentibus perſonis fidem faciunt, ſed quemadmodum Plato qui uolens anime immortalitatem demonſtrare, ſubſtantiæ ipſius ratione ſic dicens, uſus eſt. ANIMA PER SE MOVETVR, QVOD PER SE MOVETVR, SEMPER MOVETVR, QVOD SEMPER MOVETVR, IMMORTALE, ANIMA IGITVR IMMORTALIS. hũc demonſtrandi morem tenere neceſſe eſt. etenim demonſtrationes ueræ ex definitionibus fiunt. definitiones rei naturam patefaciunt. quas etiam ex rerum natura, non autem ab exterioribus præter opus aduenientibus fieri oportet. Tertium igitur ordinem demonſtratio ſortita eſt, quoniam ipſa, definitione, definitio diuiſione utatur.

Reſolutionis proprium quidem eſt, compoſita in ſimplicia, ex quibus componuntur, reſoluere. ut orationem in nomina, & uerba, hæcq; in ſyllabas eaſdem inſuper in elementa. Hæc pertractant grammatici. Naturales autem philoſophi de rebus agunt ut hominem in caput, manus & pedes, hæc in oſſa, & carnem, eadem in quatuor elementa, illa demum in materiam & formã. Reſolutione in ratiocinationibus utimur, cûm eas in propoſitiones reſoluimus. & illas in terminos. Vt in reſolutionibus docet Ariſtoteles. omnium igitur prima eſt diuidendi facultas. deinde definiendi: tertia demonſtrandi, Quarta demum reſoluendi. trium dũtaxat illarũ meminit, quoniam ad illas potiſſimum utilis eſt hic liber, de generibus enim differentiiſq; docet. Is profecto qui diuiſionis ſcientiam callet, probè genus in ſpecies per differétias proprias diſtiguet. definitor ex genere, & differentia definiet. Demonſtrationes ex definitionibus conſtabunt. definitiones (ut dictum eſt) ex generibus, & differentiis. Quod & alia ratione ſic probabitur. Quia tres illæ inter ſe colligate ſunt, definitio diuiſione, demonſtratio utriſq; utitur. is qui demonſtrat, rerũ definitionem aſſumit, ut rei naturam comprehendat. Definitiua diuiſione, at reſolutio neutra

illarum

ſſlarum utitur. Eſt inſuper diuiſioni contraria, quoniam illa unum accipiens in plura diſtinguit. hæc in unum definit. Nam ſi hominē accipiat, diſſoluatq; in partes, has in humores, hos in elementa, hæc deniq; in materiam, & formam reſoluet. elementa ex materia, formaq; componunť.

Item aliter, qui diuidit à ſimplicibus ad compoſita progreditur, ſed qui reſoluit, à compoſitis ad ſimpliciora. eiq; qui definit, aduerſatur is, qui reſoluit. quoniam alter ſubſtantiam cōiungit, alter diſſoluit. Item ſi diuiſioni contraria eſt reſolutio, quando definitio ſine diuiſione fieri non poteſt. definitioni contrariam eſſe manifeſtum eſt, eodem modo demonſtrationi aduerſabitur. Si quidem demonſtratio definitione indigeat, & diuiſione, ſed reſolutio opponitur iis, demonſtrationi igitur aduerſabitur. Et cur definitionis prius mentionem fecit, quàm diuiſionis, cum hæc prior ſit? Quoniam illarum uocum definitionem aſſignare ſibi propoſitum erat. Compoſitio a reſolutione differt, non tamen ſubiecto. Nam ueluti aſcendentes & deſcendentes, ita reſolutio, & compoſitio habitudine tantum diſcordant. Quando à ſuperioribus primiſq; principiis ad extrema deſcendimus, compoſitio: cum ab ultimis ad prima conſcendimus reſolutio nominatur. & quia compoſitio ad compoſitum, reſolutio ad ſimplex terminabit, is enim, qui reſoluit aliquid compoſitum reſoluit. & ne ei, qui ad diuidendum ſimplex properat, diuidenda deſint. & in iis elaboret, quæ minime fieri queunt compoſitum ex pluribus ſimplicibus componitur: igitur reſoluens in plura reſoluet. Illud igitur compoſitum in unum ſimplex reſoluere, falſum erat. Hoc enim proxime ad uerum accedit. niſi compoſitum in plura continua, & ultimum in unum reſolui dicere uelimus. Cognoſcere igitur oportet (ut manifeſtè loquar) ſimplex in plura componi, in nullum uerò reſolui. Extremum etenim compoſitum in proxima plura diſſoluiť. In ſupremum autem, unum, non amplius componitur.

Nonnulli dubitant, quam ob rem definitionem, quæ poſterior eſt, diuiſione præpoſuerit. Dicemus igitur, primum quidem nihil prohibere, quin ea, quæ nobis libuerint, in ſubiecto ordinemus, deinde quatenus ad intelligentiam noſtram, priora compoſita eſſe ex definitione cognoſci, quare nihil referre, ſi unà nequaquam ordinauerit. Iure & merito definitionem præpoſuit. Reſolutionem fortaſſe prætermiſit, quòd eadem ac compoſitio ratione ſubiecti, habitudine dūtaxat (ut diximus) differens uideretur. VTILIS HORVM SIT CONTEMPLATIO, ideſt cognitio. Nam philoſophi cognitionem ipſam, contemplationem appellare ſolent.

Strictam tibi traditionem conficiens enitar breuibus, quodam uelut introducendi modo ea perſequi, quæ ab antiquioribus tradita ſunt.

Quoniam altera traditio arcta eſt, quæ capitum commemorandorū gratia fieri ſolet, Quæq; ualde contracta, eſt & breuis, ob id STRICTAM dixit, & QVODAM VELVT INTRODVCENDI MODO,

Ab altioribus quæſtionibus abſtinens

Tria eſſe animaduertimus, quæ iuuenes à legendis ueterum uoluminibus dehortantur. dictorum longitudinem obſcuram orationem qualis de interpretatione liber eſt. deniq; reconditarum ſententiarum magnitudinem. Alliciens igitur ad ſe Porphyrius auditorem libellum hūc, ab omnibus illis abeſſe pollicetur. Prolixum, neq; obſcuræ dictionis fore uerba illa INTRODVCENDI MODO. manifeſtant. uerum cum dicit. AB ALTIORIBVS TEMPERANS QVÆSTIONIBVS, ſententiarum magnitudine prorſus cariturum declarat. Item dictionis difficultatem hinc abeſſe oſtendit, cum dixit SIMPLICIORES. Breuem præterea futurū MEDIOCRITER CONIECTANS, indicauit.

Simpliciores mecum reputans mediocriter.

Hæc ad rem non referenda ſunt. Philoſophi enim certa ſcientia non coniecturis demonſtrāt, ſed ad Chryſaorium. quaſi dicturum ſe tantum ſpondeat, quæ ad illum inſtituendū attinebūt, cum philoſophorum non ſit, coniecturis, ſed omnia uera certaq; ſcientia demonſtrare.

Mox de generibus, atq; ſpeciebus an ſubſiſtant an in ſolis nudiſq; conceptibus collocentur. Deinde ſi ſubſiſtant num corporea ſint, an corporis expertia. atq; num ſeparabilia, uel in iis iaceant, quæ ſenſibus percipiuntur, et ea quæ ad id genus quæſtionum pertinere uidentur dicere recuſae

bo quippe quæ altiſſima eſt huiuſmodi tractatio et maiore longe egeat inquiſitione.

Contractam, facilemq; & à profundioribus quæſtionibus alienans doctrinam facturum pollicitus fuerat. Nequis igitur horum quæſtionem non profundam eſſe diceret, philoſophus nobis ſic ſe rem habere per hæc clam uoluit innuere. Erat igitur profundior de iis quæſtio, quæ data opera prætermiſſa eſt. ut autem id manifeſtum fiat, ſic dicemus.

Eorum, quæ ſunt, alia per ſe conſiſtunt, alia in ſimplici intellectione contingunt. Eorum rurſus, quæ conſiſtunt, alia corporata, alia corporis expertia. Illa præterea, quæ corpore carent, ut rationalis anima, & angelus ſeparari poſſunt. alia, ut candor, nigror, & brutorum animæ à corporibus non ſegregantur. Illorum deinde quæ per ſe, alia ante multa, alia poſterius genita, & in anima noſtra conſiſtunt, Eorum, quæ ſunt, alia ſubſiſtunt, alia in ſimplici noſtra intelligentia contingere dicuntur, Quæ ubi animo compræhenſa fuerint, ſubſiſtunt, & cum minime intelligantur, ualeant oportet. ſed intelligentia ceſſante ſimul abibunt. ut hippocentaurus, qui nuſquam extat. ſed uidentes equum, centaurumq; noſtra uos cogitatione quicquá conduplicamus, compoſitum hoc hippocentaurum dicimus. Hircum præterea ceruumq; natura produxit. utrunq; nos conſideratione componemus, compactumq; hircoceruum appellabimus. & ſic ſubſiſtit. Antiſthenes igitur genera, ſpecieſq; in nudis conceptibus eſſe dicebat, hac fretus ratione. dicere enim ſolebat equum uideo, equinitatem minime. hominem uideo, at non humanitatem. hæc ille, ſolo uix ſenſu uiuens, qui neq; ratione in altiorem ſe inuentionem attollere ualebat. Eorum igitur quæ ſubſiſtunt, alia corpora, alia illorum expertia.

Atqui ueterũ alii prorſus hæc eſſe defenderunt, alii uero penitus ea ipſa ſuſtulerunt, at eorũ, qui ea defenderunt, nonnulli corpora eſſe uoluerunt, nõnulli uero corporis expertia. Sed q corpora illa eſſe contenderunt, in eadem opinione permanſere. Dicentium quoq; illa incorporea eẽ alii hæc per ſe, alii uero in iis, quæ ſenſu percipiuntur ſubſiſtere arbitrati ſunt. quod nouere eorum quæ corpore carent (ut dudum diuiſum eſt) alia per ſe ſubſiſtere, ut angelus, Deus, alia in aliis, uelut candor, & figuræ. Hęc igitur alii per ſe, alii, uero in iis, quæ ſenſu comprehenduntur, ſubſiſtere dicunt. Rurſus quoniam ea, quæ in iis, quæ percipiuntur ſenſu, conſiſtunt incorporea, uel undiq; totius rei ſeſe expandunt, *& porriguntur*, ut in fuco candor, uel ſolum ſuperficiei inſident, aut incumbunt, ut globoſa figura, alii ea ipſa ſeſe per totum profundere affirmant, alii uerò in ſola ſuperficie ſupereſſe tradunt. Deinde ſunt qui n... nulla ſubſiſtere in iis, quæ ſubſiſtunt, arbitrentur. nec alia de cauſa ſubſiſtere poſſe, ut locus, & tempus, quippe quæ contineant, ea, quæ ſenſibus percipiuntur. Cum igitur tot ſectæ ſint, quæ prædicta negent, & affirment, quęſtio de generibus & ſpeciebus merito adduci potuit, ſint ne, an in tenui quadam intelligentia ponenda eſſe uideantur. hoc enim modo Antiſthenes cenſuit. Et poſtea quam hæc ſubſiſtere inuẽtum eſt, rurſus quærendum erat, corporea ne eſſent, an incorpòrea. Nam huius diuiſiõis utraq; ſectio ſuos habuit fautores. Cum præterea compertum eſſet corpore carere, dubitatio oriri poterat, utrum à materia ſeparata non ſint, & in multis. an ſeparari à materia poſſent. Verum ut manifeſtius id fiat, ueluti exemplum proponemus. Neq; enim ſimpliciter adeo, & caſu quodam alii corporea ipſa dixerũt, alii incorporea, ſed ratiõe quadam ducti, neq; mutuo ſunt contrarii. Vtriq; etenim iure procedunt.

Annulus igitur alicuius imaginem, Achillis fortaſſis, habens inſculptam intelligatur, multæ inſuper ceræ diſpoſitæ ſint, & ab annulo imprimantur. ſuperueniat deinde, uideatq; aliquis ceras omnes unius annuli impreſſione formatus annuliq; impreſſionem in mente contineat. ſigillũ annulo inſculptum ante multa dicetur, in cerulis impreſſum, in multis. Quod uero in illius remanſerit intelligentia, qui ſuperuenerat poſt multa, ac poſterius genitum nuncupabitur. Idem in generibus, & ſpeciebus intelligatur. Omnium opifex Deus cunctarum rerum apud ſe formas habet, ut ſi hominem faciat, hominis effigiem habet apud ſe, in quam reſpiciens omnes homines facit. Si quis id recuſauerit, dicetq; rerum formas apud opificem non eſſe, hæc audiat.

Opifex quæ operatur, uel cognoſcit, uel ignorat, ſed is qui neſciet, nunquam operabitur. quis unquam id faciet, quod ſe facturum ignorabit? Neq; potentia quadam. rationis experte facere, ut natura operatur, fatendum eſt. unde natura etiam operatur, & ſi, quæ faciat, non animaduertat. ſed ſi rationali habitudine faciet, quodcunq; fecit, cognouit, ſi ita eſt, non malum eſt uel ſecũdum hominem Deum operari, quod ab ipſo factum eſt cognouit, quòd ſi cognouerit, quod fecit formas apud opificem eſſe manifeſtum eſt. Formæ eo pacto in opifice ſunt, ut in annulo ſigillum.

lum. Hæc inſuper effigies ante multa, ſeparataq; à materia dicetur. Eſt etiam hominis forma in ſingulis hominibus, quæ in multis, ut in cærulis impreſſio, appellabitur, nec à materia ſeparari poterit. At illa eadem effigies, quæ in omnibus hominibus uidetur, ut ceras quis ſuperueniens uno tantum ſigillo efformatas conſpiciat, in mente remanebit, & ſuper multis, poſtq; multa, & poſterius generata nominabitur. Poſſunt hæ à corpore ſeparari, cum non in corpore, ſed anima ſubſiſtant. haud tamen inſeparabiles. Non enim per ſeipſas ſeparari poſſunt, quales formas ante multa poſuit Plato. haſq; ſimpliciter opificis notiones non eſſe aſſerit. Verum ſubſtantias quaſdam, quæ intelligentia uigent, in quas uult opificem reſpicere, ut ea quæ hic ſunt, iuxta principes illas effigies conderet. Quærere itaq; num ea, quæ corpore carent, à materia, ueluti ea, quæ ſunt in opifice ſeparari, an non ſeparari poſſint, ſicut ea, quæ in multis ſunt, uel poſt ea, quæ ſenſibus percipiuntur, id eſt ea, quæ poſt multa, dicere nimirum recuſat. Sciendum enim in iis Ariſtotelem à Platone diſſentire, Ariſtoteles quidem tradit illa à materia ſeparari non poſſe. Plato uero ſeparari. At ſiue hi ſummi philoſophi inter ſe diſſentiant nec ne, quod uidetur illis Ariſtoteles naturaliter uti, huius loci non eſt conſiderare.

Hoc autem quemadmodum de iis.

Promiſerat philoſophus ſe librum hunc utilem ad Ariſtotelis prædicamenta facturum, quæ uiæ quædam ſunt, & progreſſus ad logicam philoſophorum ſpeculationem uniuerſam.

Orationis plures ſunt partes, alia enunciare, alia optare, alia uocare, alia imperare, alia interrogare poteſt. multæ enim ſuperſunt, quas nunc dicere non eſt propoſitum. In logices tractatione non de omnibus, ſed de ea, quæ enunciare poteſt, tantum diſſeritur, quæ quidem eſt, animæ intelligentis nuncia, Reliquæ ei animæ contingunt, quæ quidpiam concupiſcit, nam qui rogat, aliquid appetens rogat. item ſi quis quempiam uocat, alicuius deſiderio ductus uocat. idem etiam agit, qui aliquem alloquitur, Sola ea oratio quæ enunciare poteſt, uera eſt, uel falſa, reliquæ neq; ueræ ſunt, nec falſæ. Eodem pacto ſi quis uel deprecetur, uel conuocarit. Oratio quæ enunciare poteſt uel uera eſt aut falſa. ut ſiquis animam mortalem eſſe, uel immortalem demonſtrat, ſemper uel uerum uel falſum dicit. Quæ enunciare poteſt oratio eſt, quæ rem eſſe uel non eſſe oſtēdit: Quæ in ſe duo quædam ſubiectum ſcilicet, & prædicatum continet, Sed quò res planior fiat ſcire oportet, ſubiectum id eſſe, de quo loquimur prædicatum uero, quod de ipſo ſubiecto dicitur. ut homo animal eſt. homo eſt ſubiectum, prædicatur enim animal. ſimili modo, anima immortalis eſt. & de quo uis alio, de anima uidelicet, quæ ſubiicitur, & de ipſa prædicatum, immortalis. Quare orationem hāc ſubiectum, predicatumq; habere meritò diximus. De generibus ſpeciebuſq; poterat theologice etiam diſſerere, cum ſcilicet Deus apud ſe generum ſpecierumq; formas habeat nec ne quærimus. Vera igitur eſt Platonis opinio, qui ideas intelligentiis præditas eſſe per ſeq; ſubſiſtere uult. Quas & uere, & primo ſubſtantias appellat, uel non, ut etiam Ariſtoteli uidetur. Naturaliter uerò quando conſideramus, natura ne in ipſa ſpecierum, generumq; rationes habeat. Non enim ut nix præter rationem frigidum reddit, igniſq; adurit, ſic facit & natura, ſed omnino ratione quadam efficit, & ſi quæ faciat, non cognoſcat.

Aliter etiam, hocq; modo naturaliter quærere poſſumus. utrum hæc in multis ſint, animal uidelicet ſimpliciter in omnibus, quæ ſingulatim ſunt, & ſimpliciter homo, uel non, & quæ nā ſubſtantia communis iis ſingularibus ſpectetur, ſed omne ſi quid in ſingularibus cōtemplemur, indiuiduum eſt, Licet etiam logicè de iis, hoc eſt enunciationis modo, uel decenter logica cōtemplatione quærere, ſi quæ aliquibus ſubiiciantur, aut quæ de quibuſdam prædicentur. Genera de differentiis, & ſpeciebus, ſed non econuerſo, prædicantur. Ordine quodam mutuo ſeruari diximus genus, differentiam, & ſpeciem, horum primum locum genus tenere, ſecūdum ſortita eſt ſpecies, horum media differentia eſt. ſuperiora de inferioribus, non econtrà, prædicari oportet. ut ſi dixerimus omnis homo eſt animal, uerum dicimus, at ſi conuerterimus dicētes omne animal homo eſt, falſum erit. rurſus omnis equus expers rationis eſt, id quoq; uerum. ſed ſi conuertentes omne rationis expers equum eſſe affirmauerimus, falſa fiet oratio. Fortuitum enim facere ſubiectum non licet, neq; quod animal, hominem eſſe permittitur. ut iamdudum diximus. Dicere igitur oportet talia facienda ſubiecta eſſe, qualia prædicata. quæ docebit philoſophus, hacq; de cauſa addidit. VT LOGICI MAGIS SOLENT. id eſt, ut magis ad logicam attinet tractationem.

Hoc autem quemadmodum de iis, ac propoſitis logico potius more ueteres pertractarunt.

Logico more utetur is, qui rerum accidentia inueſtigabit. Naturali ſi ſubſtantias quæret. Ille præterea, qui omnium fluxum, & principium, quare ſingula conſiſtant, indagarit, theologice dicetur pertractare. Poſtquam igitur naturaliter pertractare (ut nuper dicebamus) de generibus & ſpeciebus, atq; reliquis eſt, cum de iis, quærimus, quæ ſenſibus percipiuntur, ut Ariſtotelem pertractaſſe uidemus. Theologice cum ea, quæ in opifice ſunt perſcrutamur, ut in parmenide Plato. eſt hoc loco logice magis de iis agendum, quoniam in logica facultate illis orationibus indigemus, quæ poſſunt enunciare. In huiuſmodi orationibus nonnulla ſubiiciuntur, nonnulla prædicantur. ſubiectum autem, & prædicatum uel genus eſt, aut ſpecies, differentiaue, uel proprium, aut accidens. QVEMADMODVM DE IIS, hoc eſt generibus & ſpeciebus, nam proximè de ipſis uerba fecit, Addens præterea ET DE PROPOSITIS. reliqua tria differentiá, proprium, & accidens ſignificauit. niſi ſic dixerimus. QVEMADMODVM DE IIS, genus, differentiamq́;, ac ſpeciem indicauit. cum addiderit AC PROPOSITIS, reliqua duo, proprium ſcilicet, & accidens demonſtrauit.

Et horum præſentium peripatetici, tibi demonſtrare tentabo.

Philoſophus Porphyrius horum inuentionem, doctrinamq́; non ſibi aſcribit, ſed ex ueteribus, inquit, qui ea logice pertractarunt, omnibus diligentiores Peripatetici fuere. Peripateticorũ nomen ex hac ortum eſt cauſa. Diuinum Platonem in academia deambulátem, & cum familiaribus congredientem, ut corpus exerceret, & ad animi ſplendorem ſuſcipiendum aptum redderet, literarum monimenta tradiderunt. Artificis enim ars ex inſtrumentis plerunque cognoſcitur, quod fuit in cauſa, ut Platoni etiam commilitones Peripatetici, hoc eſt deãbulatores cognominati ſint. Poſt Platonem uita functum Ariſtoteles, & Xenocrates gymnaſium tenuere. Ariſtoteles in Lycio, Xenocrates in academia. Ariſtotelici igitur peripatetici ex lycio, Xenocratici uero peripatetici ex academia dicti ſunt. Paulopoſt tempore, qui Ariſtotelem ſecuti, ab actione tãtum cognomen ſumpſere, delentes quod à loco fuerant nacti. Qui uero cum Xenocrate contra, actionis nomen remouentes, loci cognomen retinuerunt academiciq́; uocati ſunt, facturus operepretium Porphyrius Platonicus philoſophus ingreſſum quendam ad Platonis dicta, necnõ ad Ariſtotelis prædicamenta utilem librum ſcripturus. DEMONSTRABO (inquit) QVOMODO DE IIS ANTIQVIORES PERTRACTARINT, HORVM PRÆSERTIM ARISTOTELICI. nam hac de cauſa dixit, ET HORVM MAXIME PERIPATETICI.

Suprema genera decem ſunt ſubſtantia, quantum, quale & reliqua, quorum ſola ſubſtantia res eſt, quæ ſeipſam ſuſtineat. cætera omnia accidentia ſunt. Generis tamen hæc data deſcriptio decem omnibus conueniet, neq; dixeris ut ſubſtantiæ, ita & accidentibus conuenire. Differunt enim qua ſunt, Quoniam quicquid acciderit ſubſtantiæ, ut uidelicet, tanquam genus in ſpecies, quæ ſub ipſam ſunt, diuidatur, cæteris accidentibus continget, diuiduntur enim & ipſa in ſpecies ſub ipſis exiſtentes, ueluti genera. Verum hæc aliter conſiderabis, ſi ut ſubſtantiam, & accidés. aliter uerò, ſi ut genera ſuprema. Quod ipſum omnibus commune eſt.

DE GENERE.

Videtur autem nec genus, nec ſpecies ſimpliciter dici.

Cum libri propoſitum, utilitatemq́; prædixerit, & introducendi modum indicauerit, ab altioribus ſcilicet quæſtionibus uelle abſtinere, facilioresq; conſectari, nonnullas etiam ſimpliciores, & profundiores eſſe demonſtrauerit ſingularum nunc quinq; uocum doctrinam declarare proſequitur. de genere primum dicit, quoniam iis numeratis primum obtinuit locum. dicit, quoniam iis numeratis primum obtinuit locum. deinde quia plures ſub ſe comprehédit ſpecies, ea de cauſa genus ſpecie prius eſt. & quamquam genus, & ſpecies mutuò ſeſe referant, ſunt tamen quædam ad aliquid in quibus nonnulla reperiuntur reliquis antiquiora, eorumq́; cauſæ dicuntur, ut patrem filii cauſam. dicimus, & quatenus homines, priorem. atqui ſimul etiam cognoſcuntur, & ſeſe ad aliquid facti mutuo conſtituunt, qua ad aliquid ſunt. Quæ ſunt ad aliqđ prius quaſdam eſſe ſubſtantias oportet. Cum igitur eorum, quæ ſunt ad aliquid cauſam prius contingentem inueſtigamus, uel tempore priorem eſſe, uel natura comperiemus illam ſecundũ cauſam dicemus antiquiorem. In patre igitur & filio. ſenior eſt pater tempore, quatenus homo eſt. quod ipſum ſubſtantia eſt, quæ filii naturam efficiat. hoc igitur modo patrem filio dicemus uetuſtiorem. Et ſi mutuo etiam dominus, & ſeruus, magiſter, & diſcipulus dicantur, ſola tamen

cauſa,

cauſa,non tempore ſunt priores.Tempore quidem erunt,quando poſteriores fuerint,ut homines.dominus ſcilicet ſeruo,& præceptor diſcipulo.Idem & de genere & ſpecie dicemus. Genus & ſpecies ſunt ad aliquid. Quæ ad aliquid ſunt, ſubſtantias priores eſſe neceſſitas cogit. Genus ratione ſubſtantiæ natura prius ſubſiſtit,non tempore.& ſpeciei conſtituit ſubſtantiam.

Diuiditur enim in ſpecies genus,ſed quodcunq; diuiditur,prius eſt ſuis partibus, utpote cũ eas conſtituat.Ratione igitur ſubſtantiæ ſpecie prius eſt genus.

Priora illorum,quæ ad aliquid ſunt,ſecundum ſubſtantiam, per cauſam ſunt priora. genus igitur ſpecie antiquius eſt.& meritò primum eſt aſſecutum locum. Hoc igitur ordine natura utitur in generatione.Semen autem accipiens,primum uitale facit,& animatum,paulo procedẽs ſenſum impartiens animal efficit.iram deinde, & deſiderium rationis expers animal conſtituit. Perfectam demum rationem addens,hominem fabricauit.Per ſubſtantiam igitur genera priora ſunt,quam ſpecies.Qua uerò genus,& ſpecies mutua habitudine inter ſe unà ſubſiſtũt,& ſimul auferuntur,nomina tantum ſunt.

Quærere hoc loco dignum putamus.qua nam de re cum de genere doceat,ſpeciei,& non differẽtiæ & reliquorum meminerit:Dicimus enim genus,ſpeciemq; ad aliquid eſſe, (ut diximus) atqui ſpecies generis ſpecies eſt,& genus ſpeciei eſt genus.& non præter rationem in generis doctrina ſpeciei mentionem fecit.Neceſſe enim eſt,quemcunq; ea,quæ ad aliquid referuntur, docere uolentem,ſi unius meminerit,alterum quoq; non prætermittere. Regula porrò Ariſtotelica hoc in loco uſus eſt Porphyrius,quæ huiuſmodi eſt.Eum,qui de aliquo æquiuoco nomine,qđ ſcilicet plura ſignificet,ſit uerba facturus,illius nominis prius ſignificationes explicare neceſſe.deinde dicere de qua ſignificatione loquatur. Aequiuocatio enim plerunq; obſcuritatem,erroreq; generare conſueuit.Cum aliam,qui docet,aliam,qui audiat,eiuſdem nominis ſignificationẽ accipiat.ut de cœleſti cane quis docere uolens dicat,canis æſtus facit,fructusq; diſcriminat, niſi prius dixerit,de quo cane loquatur,errorem in animo auditoris efficiet.omnes igitur canis ſignificationes numerare oportet.alius ſcilicet cœleſtis,alius terrenus,alius marinus eſt dicat deinde philoſophus de cœleſti ſermo eſt.Sic Porphyrius philoſophorum more procedens omnes generis ſignificationes connumerat,demum de quo loquatur, declarat.Illud autem VIDETVR nõ ut ſomnians,ſed pro apparet dictum eſt. SIMPLICITER quatuor modis accipitur.Vniuerſè ut apud oratores,ut ſimpliciter,ideſt uniuerſè dicere,propriè, ut cum dicit Ariſtoteles, ſimpliciter generatio,id eſt propria.ſignificat etiam perperam,ut cum dicimus, dominus ſimpliciter ſeruũ uerberat,hoc eſt perperam & nulla de cauſa.ſignificat poſtremò, uno modo, ut ſimplex ſermo uerus eſt.in qua ſignificatione nunc acceptum eſt.dicit enim uideri neq; genus,neq; ſpeciem,nec reliqua uno dici modo.

Genus namq; dicitur aliquorum quodam modo ſe ad vnum aliquod habentium, & mutua inter ſe collectio.

Primam generis ſignificationem dicit,duasq; relationis comparationes,alteram multitudinis ad unum,& multitudinis ad multitudinem habere oſtendit,Vt Heraclidarum ad Herculẽ,quia genus ab illo genus habere dicuntur,& quantum mutuò patrui ſibiipſis dicuntur; & nepotes, uel alio quouis modo. QVODAMMODO, pulchre appoſitum eſt, alia quippe alteri habitudo eſt eorum,qui ſub eodem genere continentur.patruiue alii aliorum ſunt,uel filii,uel fratres, uel horum aliquid,quæ genus perficiunt.

Qua ſignificatione Heraclidarum dicitur Genus,ab vnius comparatiõne herculis videlicet & multitudinis eorum,qui inter ſe quodammodo iuncti ſunt affinitate,quã ab illo traxere ſecundum deciſionem ab illis generbus nuncupatam.Alio item modo fertur genus cuiuſq; rei ortus principium,ſiue ab eo,qui genuit ſiue a loco,in quo quis genitus fuerit,ſic Oreſten a Tãtalo genus duxiſſe,dicimus,Hylum vero ab Hercule,& [illegible]us pindarum genere thebanũ;& Platonem Athenĕſem.Etenim patria eſt æque cuiuſq; re[illegible]s,ac pater principium.

Cum heraclidarum dixerit,idipſum ab aliis generibus ſeparauit,ueluti tantalidarum,& cæterorum,& ab unius comparatione Herculis uidelicet,& à multitudine mutuam ab illo affinitatem habentium.quam etiam ob cauſam duæ rurſus habitudines accipiuntur. unius ad unum,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cauſæ & effecti,ut Herculis ad aliquem Heraclidarum.cum cauſa ſit Hercules, effectus uero is,
qui ab ipſo deſcendit.Idq; uel à patria,uel à loco,in quo quis nutritus fuerit deriuari poteſt, ut
Platonem genere Athenienſem , pindarum thebanum dicimus . Habitudinem quatuor modis
dici ſciendum eſt.uel per artem,ut præceptoris ad diſcipulum , uel per fortunam , ut domini ad
ſeruū.aut electione ut amici ad amicum,uel natura ut patris ad filium.Sed ſuperiorū habitudo
ē naturæ rōne. SECVNDVM DECISIONEM AB ALIIS GENERIBVS NVNCVPATAM.

Voces ſignificantes,nominaq; mutuo res diſtinguere ſolere ſciendum eſt.Natura enim nobis
eſt comparatum,ut hunc hominem uocari,hunc canē,& reliqua diſceremus.hacq; ratione unū-
quodq; inter ſe ſepararemus . Etenim artes ſingulæ quoddam recentius , ac propè peregrinū ad
alias artes docturæ propriis inſtrumentis,ut res ipſæ declararentur,nomina impoſuere. Vt Geo
metræ cum multas triangulorum differentias inueniſſent , alium ſcilicet tria latera æqualia ha-
bentem,alium duo tantum,alium tria minime æqualia,propriis nominibus uſi ſunt.habentēq;
tria æqualia latera Iſopleurum,qui duo tantum haberet,Iſoſceles,qui uero tria non æqualia ſca
lenum,his nominibus horum ſingulum declarare uolentes appellarunt . Nomina igitur res ſi-
gnificant.

*Hæc autem videtur in promptu ſignificatio Nam heraclidæ cum ab hercule profecti ſint no-
men huiuſmodi traxere,cecopridæ pariter a cecopre & horum affines . Prius in quam genus ap-
pellatum erat cuiuſq; ortus initium.poſt hoc etiam multitudo genus dicebatur, quæ ab vno princi
pio velut ab Hercule manauit quod diſtinguentes,& ab alus ſeparantes totam Heraclidarum col
lectionem genus eſſe dicimus.*

Obſcuram hoc loco philoſophus ad primam generis ſignificationem illico procedens fecit do
ctrinam.debuerat enim de quo genere loqueretur indicare,ipſum tamen de priori uerba facere,
non de poſteriori exempla manifeſtant . Primam enim hanc generis ſignificationem uideri no-
bis in promptu eſſe ex conſuetudine , & magis cognitam dicit IN PROMPTV EX CONSVE
TVDINE ſignificationem illam dicens,multorum ab uno,uel ad multos habitudinē indicauit.
Sed hic iure dubitandum eſt,quare primum genus traditum , non autem unius ad unū ha-
bitudinem,hoc eſt ſecundum genus in promptu dixerit.quandoquidem illud prius natura co-
gnouit.primum enim ex uno unum,multos deinceps ex multis facit.Cui dubitationi ſic reſpon
ſum uolumus.primam generis ſignificationem,quæ nobis ſecunda eſt , natura priorem eſſe.nā
ab Hercule unus primum plures deinde oriūtur.prima generis ſignificatio , q̄ prima eſt naturę
nobis eſt ſecūda.& q̄ naturæ ſecūda eſt,nobis eſt prima.& ut uniuerſe dicā,q̄ rōne naturæ prima
ſunt,nobis ſunt poſteriora,q̄q; nature poſteriora,nobis prima ſunt.Naturę(ut exēplis res notio
fiat)prima ſunt materia & forma,q̄tuor poſtea elemēta.caro deinde & oſſa,ceteræq; eiuſdē gñis
partes,demū hō.Natura enī ſic ab ſupioribus ad inferiora deferť.Nos aūt q ad inferiora propēſi
ſumus,ſupine,& ab iis,quæ magis proxima ſunt,ad longinquiora reſpicimus.& ab illis,quæ ma
gis materia participant,ad ea,quæ hac carent,aſcendere uolumus. primum cognoſcimus homi-
nem,poſtea ex oſſibus , carneq; componi percipimus , hæc deinde à quatuor elementis exiſtere,
hæc tandem à materia,& forma eſſe intelligimus.Quare quæ naturæ priora , nobis cognitione
fiunt poſteriora,& quæ naturæ poſteriora ſunt,cognitione nobis priora cōtingunt.manifeſtior
igitur prima generis ſignificatio.minus cognita ſecunda.eaq; de cauſa in promptu dixit doctri-
nam porphyrius. A facio libribus enim doctrinam incipere oportet.

*Aliter autem genus dicitur,cui ſpecies ſubiicitur, per ſimilitudinem fortaſſis illorum quæ di-
cta ſunt.etenim huiuſmodi genus,quoddam eſt eorum,quæ ſub ipſo ſunt,principium, atq; omnem
multitudinem quæ ſub ipſo eſt,continere uidetur.*

Dubitatione dignum eſt,quòd cum aliæ ſint generis ſignificationes ipſe ſolus has numerare
rit. Alias autem eſſe ſignificationes hinc manifeſtum eſt.Plato eius quod eſt,ſubſtantiam, idem,
alterum , uotum,ſtatumq; genera poſuit. Hæc igitur non dixit, quoniam (ut pauloante ſignifi-
cauit) de iis ſe dicturum,quæ ad Ariſtotelem pertinerent,propoſuerat. Atqui ipſe Ariſtoteles in
phyſicis unicuiq; arti ſubiectam materiam genus appellare uidetur, ut in fabrili ligna,in medici-
na humana corpora.& in omnibus naturalibus materiam primam. Sed porphyrio hæc natura-

ſiter conſiderare non eſt propoſitum, uerum eo modo, quo ad logices facultatẽ attinere uidẽt.

Tertiam præterea generis ſignificationem connumerat, de quo apud philoſophos eſt ſermo. ſimilitudinem quandam cum prædictis habet. Nam ut prima generis ſignificatio duas quaſdã habet comparationes, multorum ſcilicet ad unum, & multorum ad ſeſe, ſpecies pariter ad genus & mutuò inter ſeſe habitudinem habent. Quemadmodum præterea ſecũda ſignificatio, unius ad unum. & cauſæ ad effectum relationem habet, ſic & genus unius habitudinem ad unũ poſſidet. ut animalis ad hominem, & effecti ad cauſam, Forte fortuna qui primi nomina rebus impoſuere, cum differentes hominum generationes diſcerni uellent, hoc Heraclidarũ genus, Aeacidarum illud, & aliud Pelopidarum uocauerunt. Philoſophi deinde horum ad imitationem ſua genera nuncuparunt. Nam ut Heraclidarum genus ſub ſe omnes continet, qui ab Hercule originem acceperunt, ita & animal genus dicitur. ſingulorum enim animaliũ hominis ſcilicet, equi canis & reliquorum uniuerſale animal appellatur. Plerũq; enim philoſophi ſua genera prius inuenerunt. Illi poſtea qui rebus impoſuerunt nomina, philoſophos imitati in hominum familiis genera nominauerunt. Vtrunq; ſubintelligi poteſt. Quod eſt in cauſa, ut dubitetur, utrum philoſophi huius denominationis principium inuenerint, an illi qui nomina rebus impoſuere. ipſe enim Porphyrius dubitabat, cum FORTASSIS addiderit.

Cum igitur tribus modis genus dicatur, de tertio philoſophi loquuntur.

Enumeratis generis ſignificationibus, tertium genus dicit à philoſophis conſiderari.

Quod & deſcribentes tradidere.

Quid deſcriptio ſit, quidq; definitio, quæue inter utrãq; differentia, & quare per deſcriptionem, non autem per definitionẽ genus docuerit, cum definitiones ſubiectæ rei ſubſtantiã oſtendant. propriaq; concludant, & nihil auferant alienum, dicere neceſſe eſt. Dicendum igitur eſt, in omnibus rebus uel unum eſſe, uel plura. & propterea unumquodq; & per nomen & per orationem ſignificatur, per nomen cum unum quidpiam, per orationem uerò, quando per plures partes cognoſcitur. ut cum hominem ſignificamus per nomen, quod eſt homo; per definitionẽ etiã dicentem animal rationale mortale, ſignificamus. Quæ quidem definitio rerum ſubiecta ſignificans uel ex iis, quæ in rebus, quæ ſecundum ſubſtantiam conſiſtunt, uel ex iis, quæ ſibiipſis accidunt, ſuſcipitur. Si igitur ex iis quæ inſunt ſecundum ſubſtantiam, accipiatur, definitio dicetur. ut animal rationale, mortale, cum hæc hominis perficiant naturam. Verum ſi ex iis quæ ſibiipſis accidunt, aſſumes, deſcriptio uocabitur, at homo animal eſt rectè ambulans, quod latos ungues habet, & manibus utitur. hæc enim hominis naturæ contingunt. ſed eam minime perficiũt, tantũmodo enim ſimul accidunt. Hoc igitur inter definitionem & deſcriptionem diſcrimen eſt. q̃d definitio ex ſubſtantia rem manifeſtam reddit. deſcriptio uerò ex accidentibus oſtendit. Dicitur deſcriptio quaſi adumbratio quædam, & primæ picturæ lineamentum. Nam ueluti apud pictores adumbratio imaginis figuram oſtendit, non tamen pure, ac perfecte, ſic & deſcriptiones rem, non tamen plenè manifeſtant. At definitio rem ipſam clare nobis referat & manifeſte. Definitio igitur perfectæ picturæ, deſcriptio uero primæ pictorum adumbrationi comparabitur. quam etiam ob cauſam deſcriptio nominatur. Cum igitur definitiones ex genere, conſtituentibuſq; differentiis ſuſcipiantur, & ſupremi generis non ſit genus, ne ex ipſomet genere differentiiſq; generis definitio traderetur (Nam de ſupremo genere, nunc loquitur) cumq; non poſſet Porphyrius generi dare definitionem, per deſcriptionem ipſum indicare coactus eſt. Illas enim res, in quibus definitionem aſſignare nõ ualemus, nitimur deſcriptione ſignificare. Generis, inquãm definitionem tradere dubitamus primum (ut dictũ eſt) quoniam de ſupremo genere, quod reliquis omnibus conuenit, uerba facit. ſed ſupremi generis non inuenitur genus, deſineret enim ſupremum eſſe, et ubi genus non ſit, neq; definitio tradi poterit. Omnis enim definitio ex genere & differentiis definitum conſtituentibus conſtat, ſed niſi genus ſit conſtituentes differentiæ nequaquam erunt. Conſtituentes enim ſpecierum differentiæ, eædem ſunt, quæ genus partiri poſſunt, ut paulo poſt declarabimus, Cuius igitur nõ eſt genus, neq; conſtituentes differentiæ contingent. Neq; cum ſupremi generis ſit genus, conſtituentesq; differentiæ, definitionem eſſe conſequetur. Hoc primum in cauſa eſt, ut generis definitio tradita non fuerit.

Deinde cum genus æquiuocum ſit, non definitur. Decem enim modis dicitur, ut in prædica

mentis uideri poteſt. Aequiuoca definire non ualemus, quippe quæ uoces ſimplices ſunt, differátq; à rebus tantum, quæ ab ipſis ſignificantur, definitio etenim naturam ſignificat. Quorũ definitiones eædem ſunt, res quoq; eaſdem eſſe neceſſe eſt. unam igitur communem æquiuocorũ definitionem tradere non cõtingit, quandoquidem per deſcriptionem ſignificantur. In iis, quæ per naturam differunt, eadem eſſe accidentia poſſunt, ueluti hoc in loco, ubi cum multa ſint genera, quæ per naturam differant una tamen atq; eadem omnibus accidit, ad comprehenſas ſub ipſa ſpecies habitudo. Supremi igitur generis Porphyrius ideo non definitionem ſed deſcriptionem tradidit, ut illud omnibus decem generibus conueniret.

Dubitabit fortaſſe de his quiſpiam, quòd ſi æquiuoca non definiuntur, ex eo, quòd tenues ſimplicesq; uoces ſint definitioq; naturam ſignificet, qua nam ratione deſcribi poterunt. quippe cum deſcriptio per accidentium concurſum ſubiectam ſibi ipſis uim ſubſtantiamq; ſignificet. in ſubſtantiæ enim, cui hæc accidunt, cognitionem nos inducit. Cum itaq; unam æquiuocorum deſcriptionem tradamus, & per eandem in ſubiectæ naturæ, ſubſtantiæue cognitionem deueniamus, non modo nomina ſed res etiam eaſdem eſſe inuenietur, quod abſurdum eſt. Nam decem genera eadem eſſe comperiemus, ſubſtantiam ſcilicet, quantum quale, & reliqua, quibus genus æquiuocum eſt. Hæc ſanè dubitatio à nobis ſoluta uideri poterat, cum nuper dicebamus, in iis, quæ per ſubſtantiam differunt, eadem accidentia eſſe poſſe, per quæ deſcriptio fieret. Poteſt igiť fieri, ut decem prædicamenta eandem habitudinem ſuſcipiant, quippe ſubſtantia cum contineat corporeum, & incorporeum, eorundem eſt genus, ſic etiam quantum, cum complectatur continuam quantitatem & diſcretam, genus earundem eſt. Eodemq; modo quale cum plures ſpecies comprehendat, eſt earum met genus, Idq; in reliquis eodẽ modo. Quare omnibus prædicamentis eadem accidit habitudo. proinde mirum non ſit, ſi tradatur una deſcriptio eorum, quæ ſubſtantia differunt, & ea, quæ deſcribantur, eadem non ſint. Etenim commune decẽ generibus eſt, ut unumquodq; de pluribus, ſed nõ de eiſdem, uel totidem prædicetur. Et ſi forte fortuna unũ de quatuor ſpeciebus prædicabitur, & de totidem aliud, inter ſe cõuenient, quà de pluribus prædicantur, at, quoniam non de eiſdem, & tantis, diſcrepabunt. Deſcriptio igitur, uel ex notatione, aut ex accidentium concurſu accipitur, quæ quidem propriæ deſcriptio dicitur. ex notatione in quam ueluti homo ſupra aſpicere poteſt *uel proſpicere*, uel quòd frontem oculosq; ſuperius habeat. *Ex accidentium concurſu ſic*, homo animal eſt recte gradiens, latos ungues habens, ut ſupra dicentes declarauimus. Definitio omnis uel ex materia ſuſcipitur uel ex forma. ex materia, ut quando iram ſanguinis circa cor ebullitionem definimus. ex forma ut cum dicimus, ultionis eſſe appetitionem, uel ex utriſq; compoſita, ut cum iram ſanguinis ebullitionem circa cor, ultioniſq; appetitionem eſſe definimus. Quando autem uel ex ſola materia, ſolaue forma ſuſcipitur, imperfecta definitio eſt, Si uero ex utriſq;, perfecta erit, quandoquidem utrũq; ſignificat. Perfecta definitio eſt, quæ ex genere, conſtituentibusq; differentiis accipitur. CONTINET ENIM MATERIÆ RATIONEM GENVS, SPECIEI AVTEM DIFFERENTIA. Hæc igitur definitio rebus ipſis inter mediis competit, Nam prima genera, nec ultima, nec conſtituentes differentias, ſed ſpecies habet, ut indiuidua, quo fit, at ipſorum deſcriptiones, minimeq; definitiones tradamus. ut Socrates eſt Sophroniſci filius, Athenienſis, philoſophus, obeſus, caluus, ſimus. & ſi quid præterea ſibi accidat. Quicũq; generaliſſima genera differentias conſtituentes habere dicunt, errare dicuntur. Non enim conſtituentes, ſed diuidentes habent differentias. Nam omne conſtituens conſtituto antiquius eſt, ut paulo ante dicebamus. Conſtituentes aliquorum differentiæ multo prius diuidentes erunt, quàm genera generaliſſima, rationale igitur, & mortale quæ hominem conſtituunt & mortale, & rationis expers equum, genus, animal inquam diuidunt, quod in rationale & rationis expers mortaleq; & immortale diſtinguitur. Pulchre itaq; conſtituentes aliquorum differentias iis, quæ conſtituant antiquiores eſſe dictum eſt. Generaliſſimoq; nihil eſt ſuperius. His ſic habentibus iure generis ſupremi definitionem cum dare non poſſet, per deſcriptionem eius doctrinam fecit. Verum enī uero ut percipiamus, quæ nam, & unde huiuſcemodi deſcriptio ſuſcepta ſit, ita dicendum eſt. Intelligemus præterea non fortuito, harũ quinq; uocum doctrinam à Porphyrio traditam fuiſſe ſed ex neceſſitate omnem uocem ſub harum aliquam reduci oportere. Vocum aliæ nihil ſignificant, ut enax, blityri. aliæ ſignificant, quæ uel de uno dicuntur, ut cum Socratem, aut Platonem, aliquemúe ſingularem dicimus uel de pluribus Quæ de pluribus, uel per ſubſtantiam, uel per ſubſtantiæ aduentitium prædicantur. Quæ per ſubſtantiam uel in quid eſt, uel in quale eſt. Si in

quale,erit differentia,ſi uero in quid,uel de ſpecie differentibus,ut genus.uel de iis,quæ numero differunt,ut ſpecies.Quæ per ſubſtantiæ adueniens,uel de una ſpecie,ut proprium,uel de pluribus,ut accidens,prædicantur.Quæ diuiſio omnes uoces neceſſario ſub iis quinq; , nec pluribus paucioribusue,contineri demonſtrat uoces alias ſignificare , alias nihil ſignificare diximus. Quæ ſignificant uel de uno dicuntur , uel de pluribus , quæ de pluribus ſunt genus . ſpecies differentia,& reliqua duo,Septem igitur uoces cum ſint, non ſignificantes , & de uno dictæ , & quæ de pluribus dicuntur genus inquam,ſpecies,Differentia , proprium & Accidens , duabus ſublatis quinq; tantum relinquuntur.Non ſignificantes ideo abiiciuntur,quia nec grammaticis,nec oratoribus proſunt,multo magis nec philoſophis.Illas inſuper , quæ de uno dicuntur, prætermittimus,quia ſingulares ſunt.ſingularia uero ſunt infinita,& comprehēdi nō poſſunt, Philoſophi enim omnia certa ſcientia tradere profitentur. ut in Cratylo inquit Plato. SCIENTIA DICTA EST. QVOD IN CERTVM NOS QVÆSTIONVM STATVM, AC METAM DVCAT. Cum itaq; ſingularia plura ſint,& infinita . ſcientiam non faciunt Illæ , quæ de uno dicuntur.de ſingularibus prædicantur.meritoq; reiiciuntur,& reliquæ,quinq; tantum reſtant genus,& ſpecies,horumq; media differentia.proprium , & Accidens.ſub quibus omnia finita,& reliquas uoces omnes inuenies,licet motum,& infinitū obiicias.Hæc in diuiſione ſummatim dicta ſunt.Rurſus de his copioſius indagabimus.

Vocum aliæ non ſignificant,ut cnax,blityri.aliæ ſignificant,de iis,quæ non ſignificant,ſermo nunc non habetur.dicunturq; non prædicata,ex eo,quòd de nullo prædicentur, & dicantur,Significantes uel de uno dicuntur ut Socrates Plato,uel de pluribus,ut genera,ſpecies,differentiæ propriaq;,& accidentia.De ſingularibus non loqui philoſophos diximus.De pluribus prædicatæ,uel per ſubſtantiam,ut genera,differentiæ , ſpeciesq;(ſubſtantiam enim perficiunt)uel minime per ſubſtantiam , ut propria , & accidentia , quandoquidem hæc ſubiectorum ſubſtantiam non perficiunt.Eorum rurſus , quæ per ſubſtantiam prædicantur , aliqua de ſpecie differentibus , ut genera , & differentiæ,dicuntur,nonnulla de numero differentibus,ueluti indiuidua,quæ mutuò non ſpecie,ſed materia,numeroúe differunt.ut fuluus equus,& fuſcus , Nō enim quicquam inter ſe ſpecie diſcriminis habent,uerum materia,& numero.Rurſus denarius numerus ex decem unitatibus non congregatis,ſed diſtinctis componitur.nam ex decem ſimul compactis,nunquam denarius numerus componetur.Hactenus generis , ſpeciei , differentiæq; diſcrimen habemus.Inter ſe hoc modo diſcordant.ſpecies de numero differentibus prædicatur. genus,differentiaq; de pluribus ſpecie differentibus prædicantur.Et quædam in quid eſt, prædicantur,quæ genus efficiunt.In quid prædicari dicitur , quoniam quid homo ſit interrogati animal,quod genus eſt reſpondemus,& hanc ob cauſam dicitur genus in quid eſt,prædicari.In quale quid eſt,tunc prædicari contingit,cum quale quid animal homo ſit,interrogamur, rationale,quod differentia eſt,reſpondemus.Quare fit , ut differentia in quale quid prædicetur. Ex iis generis,differentiæq; diſcrimen apparet.In hoc enim diſcordant nam genus in quid eſt , Differentia in quale prædicatur.

Eorum uero,quæ ſecundum ſubſtantiam non dicuntur,alia in una quadam ſpecie ſunt, ut propria,alia in pluribus,ut accidentia. Ex qua diuiſione proprii , & accidentis quæ ſit differentia uidetur.hæc enim eſt.Proprium in una ſpecie,accidens autem in pluribus ineſt . Hac igitur diuiſione ſic habente omnem uocem ſub harum quinq; unam terminare neceſſe eſt . Patet unà nos ex præpoſita diuiſione uniuſcuiuſq; uel definitionem, uel deſcriptionem tradere poſſe . eligenteſq; ad cuiuſq; rei aſſignationem utilia uidentur,ut ipſe Porphyrius fecit,cum ait.

Genus eſt,quod de pluribus & differentibus ſpecie in quid vt animal prædicatur.

Illud autem DE PLVRIBVS genus ab indiuiduis diſtinguit, quæ de uno tantum dicuntur.per SPECIE DIFFERENTIBVS ipſum à ſpecie & proprio ſeparat. IN QVID PRÆDICATVR, à differentia diuidit & accidente, Nos igitur uocum differentiam indicare uolentes , & omnino neceſſe eſſe Ariſtotelem his quinq; , nec pluribus , paucioribusue uti , diuiſionem latius amplificauimus . Septem uocibus omnino exiſtentibus cum duæ reiectæ fuerint , quinq; tantum ſuperfuere . Philoſophus Porphyrius nolens nunc qua de cauſa iis ſolis uſus fuerit Ariſtoteles , ſed ſignificantium quinq; uocum differentiā dūtaxat declarare arctius hunc in modū diuiſionē cōtraxit,inquit enī EX IIS, QVÆ PRÆDICANTVR, ALIA DE VNO DICVNTVR, ALIA DE PLVRIBVS, & ſuperiorē diuiſionis partē relinquit. Quæ

de uno prædicantur, ſunt indiuidua ut Socrates, Plato, Alcibiades. Quæ de pluribus uel de ſpecie differētibus, uel numero. De ſpecie differētibus Genus, differentia, & Accidens prædicantur. Genus enim, ut animal, de pluribus ſpeciebus homine uidelicet equo caneq; prædicatur. Differentia, ut rationale, de angelis, & hominibus prædicatur, & mortale de iis, quæ ſunt rationis expertia, ut de equa, & reliquis beluis. Atqui accidens de pluribus ſpeciebus ut de candore, nigrore, ſtatu, & motu prædicatur. ſpecies, & proprium ea ſunt, quæ de numero differentibus dicuntur. Quæ de pluribus ſpecie differentibus prædicantur aliqua in quid eſt, alia in quale quid, & quomodo habeat prædicantur, in quid eſt, genus, in quale quid differentia, & accidens, quod nō ſeparatur. in quomodo habeat, accidens ſeparabile. Nam interrogati quomodo ſe habeat Plato, bene ualere, uel ægrotare, uel ſedere, uel ſtare, uel aliud tale reſpondebimus. Dubitare nunc par eſt, ſi quinq; iam dictæ uoces ſub uocem ueluti genus reducuntur, & genus ſub ipſas adducatur erit ſupremi generis genus. quod ualde abſonum eſt. Dicimus igitur genera, non ut res, ſed tanquam uoces ſub hanc diuiſionem adduci. Nam ut generaliſſimæ res non amplius ſub quid cōmunius reducentur.

Eorum, quæ dicuntur, alia de uno ſolo prædicantur ut indiuidua uelut ſocrates.

Iis uerbis quomodo aſſignata generis deſcriptio ipſum ab aliis ſeparet, declarat.

Et hic, atq; hoc, alia uero de pluribus, ut genera, ſpecies, differentiæ et propria.

Hæc etiam ſingularia ſunt, ideſt de uno dicuntur. Demonſtantes autem, hoc, illud, & aliud dicimus. Apte philoſophi à ſingularibus hunc loquendi modum duxerunt, hæc enim demonſtrationi, & ſenſui ſubiacent. Vniuerſalis quippe homo, & uniuerſum animal, & reliqua uniuerſa, quæ in opifice ſunt, neq; demonſtrationi, neq; ſenſui ſunt ſubiecta. Pulchre igitur ſingularia, & non uniuerſalia ſub demonſtrationem collocarunt. Indiuidua ideo dicuntur, quia nec in ſpecie ſimilia, nec diſſimilia ut genera, & ſpecies, diuidi poſſunt. ſed cum diuiſione ipſa corrumpuntur. Animal enim in me commune non eſt, ſed mihi ſoli aſcribitur. Similiter & rationale, & omne compoſitum, per quod homo definiatur.

Accidentiaq; communia, et minime alicui propria.

Singularia non de pluribus dicuntur, ut candor in corpore, uel in Vlyſſe cicatrix, per quam à nutrice cognitus eſt, ſibi enim ſoli cicatrix inerat, quod niſi ita fuiſſet, quonam pacto ex illa fuiſſet agnitus? propterea igitur COMMVNIA ACCIDENTIA ET NON ALICVI PROPRIA dixit. id eſt uniuerſalia, & non ſingularia.

Genus inquam, uelut animal. ſpecies autem, ut homo. differentia deinde, ſicut rationale. proprium item, uti riſui aptum demum accidens, ceu album nigrum ſedere.

Apertiſſimam doctrinam reddit, cum nos exemplis unamquāq; illarum quinq; uocū doceat.

Ab iis igitur, quæ de uno ſolo dicuntur, differt genus, quandoquidem de pluribus prædicatur rurſus quia de pluribus ſpeciebus prædicatur, cum ſpecies etiam de pluribus prædicetur, ſcilicet numero differentibus et non ſpecie differat à ſpeciebus genus nam modo ſpecies cum ſit, de ſocrate platoneq; dicitur, qui inter ſe non ſpecie, ſed numero diſcrepant.

Quemadmodum generis definitio, deſcriptioue ipſum à reliquis ſeparat, iis uerbis oſtendit. genus enim de pluribus, ac non de numero ſolum, uerum etiam ſpecie differentibus, ſpecies autem de numero differentibus duntaxat prædicatur. Vnam quāq; uocem igitur definire, uel deſcribere hoc modo oportet. Genus uox ſignificans eſt, quæ de pluribus, & differentibus ſpecie in quid eſt prædicat. Differentia ſignificans uox eſt, quæ de pluribus & ſpecie differentibus in quale quid eſt, prædicatur. Species uox eſt ſignificans, quæ de pluribus & numero differentibus in quid eſt, prædicatur.

Proprium uox eſt, quæ cum ſignificet aliquod ſubſtantiæ adueniens de una tantum ſpecie prædicatur, Accidens uox eſt, quæ cum ſignificet aliquod ſubſtantiæ aduentitium de pluribus & ſpecie differentibus in quale quid, uel quomodo ſe habeat prædicatur.

At animal, quod genus eſt, de homine, boue et equo prædicatur, qui non numero tantum inter ſe, ſed etiam ſpecie differunt. à proprio quoq; diſcordat. Quod proprium de una ſpecie, cuius eſt, ac de eiuſdem indiuiduis dicitur, uelut riſui aptum homini duntaxat ſingulisq; hominibus competit at genus de una ſola ſpecie nequáquam, ſed pluribus, et differentibus prædicatur.

Id ſciendum eſt, quòd quæcunq; mutuo ſpecie differunt, eadem numero differre. Verũ quæ numero differunt, amplius ſpecie non diſcordabunt. nam oratio conuerti non poteſt. hic intelligendum eſt, Idem triplici dicit modo, Idem genere ſpecie, & numero genere ut homo, equus, bos, hæc enim omnia animalia cum ſint, genere eadem ſunt. Specie ut Iheon ſocrates Plato, ii ſiquidem in ſpecie ſunt iidem.

Numero ut homo, & mortalis, uel ut enſis & gladius, ſi igitur idem triplici dicit modo, Aliud, eo pacto triplex erit. Quædam enim genere different, & alia erunt inter ſe, uel ſpecie, uel numero. Quæ uerò inter ſe genere differunt, ſemper mutuo ſpecie diſcordabunt, & numero, uelut homo, & album, inter ſe genere different, homo enim animal eſt, & album quale. uerum etiam different & ſpecie. alia ſiquidem hominis, alia uero albi ſpecies eſt. homo ſpecies eſt animalis, quod eſt genus. album ſpecies eſt qualitatis, & coloris. Sed numero pariter different, Nam ſentiens homo, ut Socrates, alius eſt à Platone. Recte igitur ea, quæ genere differant, ſpecie quoq; numeroq; differre a nobis dictum eſt. Quæ ſpecie differunt. numero quoq; differunt. non tamen amplius genere. ut homo, equus, qui ſpecie inter ſe differunt, quandoquidem alia ſpecies hominis eſt, alia equi. Quinetiam numero differunt. alia eſt hominis, alia eſt equi materia. nihilominus genere, cum utraq; animalia ſint, non differunt. Quæ numero differunt, nec ſpecie, nec genere inter ſe omnino differre oportet, propterea dixit QVÆ NON NVMERO TANTVM INTER SE, SED ETIAM SPECIE DIFFERVNT ac ſi manifeſtum eſſet ea, quæ mutuò differant ſpecie eadem numero quoq; ſemper differre.

Rurſus à differentiis, & à communibus accidentibus diſſidet genus, quoniam & ſi differentiæ communiaq; accidentia de pluribus ſpecie differentibus prædicentur, non tamen ipſo quid eſt, ſed quale ſit, dicuntur nam ſi quidam nos rogabunt, quid nam ſit illud, de quo hæc prædicantur, tum genus, & minime differentias, et accidentia, reſpondebimus. nam de ſubiecto minus prædicatur in quid eſt, verum in quale quid eſt. quippe interrogati quale quid ſit homo, rationale dicemus. ſimiliterq; quale quid ſit coruus, nigrum eſſe reſpondebimus. rationale inquam differentia eſt, et nigrum accidens. cũ vero quis nos reconctatus fuerit quid ſit homo. animal dicemus. iſtud enim erat hominis genus.

Inqt enim A DIFFERENTIIS ET ACCIDENTIBVS VNIVERSALIBVS DIFFERT GENVS, quod illa in quale quid, uel qualiter ſe habeat, genus uero in quid eſt prædicatur. Ex iis, quæ in quid eſt prædicantur, genus à ſpecie differt, quoniam illa de pluribus, & numero differentibus, ipſum uerò genus de pluribus & ſpecie differentibus predicatur. A proprio item, q uni tantum ſpeciei, genus autem pluribus conuenit.

Quare cum genus de pluribus dicatur. ab iis differt, quæ de vno dicuntur. quod vero de pluribus ſpecie differentibus dicitur, differt cum ab iis, quæ velut ſpecies prædicantur, tum etiam ab illis, Quæ tanquam propria. quod demum in quid eſt, prædicatur, à differentiis et communibus accidentibus ſe iungitur. quoniam haud in quid eſt. prædicantur, ſed quale quid ſit, vel quomodo ſe habeat eorum vnumquodq; de quibus prædicantur.

Breui quodam compendio quomodo unumquodq; dictorum in generis deſcriptione contineatur, oſtendit. Nam illa non in quid eſt, ſed, quale quid, uel qualiter ſe habeat, prædicantur. Qualiter enim ſe habeat Socrates interrogati, uel bene ualere ipſum, uel ægrotare reſpondebimus. Aliæ profecto præter accidentia. differentiæ ſunt, ut ſimum eſſe, caluum, aduncum. IN QVID EST PRÆDICARI à differentiis & communibus accidentibus, Quæ non in quid, ſed quale, aut quomodo ſe habeat, prædicantur, diſiungit. In quale enim differentia, in quomodo ſe habeat communia accidentia prædicantur. Dicunt nonnulli quod cum dicat. VEL QVOMO-

DO SE SE HABEAT ea,quæ propriè alicui inſunt accidentia complecti. Nos autem, & ſi in quomodo ſe habeat ea prædicari dixerimus,tamen ex illis eſſe, quæ de uno prædicantur. A' ſuperioribus enim genus diſtinxit, uerum dicens, DE PLVRIBVS PRÆDICARI. à ſingularibus,quæ de uno dicuntur,& ab indiuiduis genus ſeparauit.

Nihil igitur ſuperuacaneum,diminutum ue conceptus dicta generis deſcriptio complectitur

Definitiones uni tantum rei conuenire,remq; totam complecti debent.ea potiſſimum de cauſa dictæ,quòd rem definitam compræhendant,à terminis,qui in agris iacent, denominatæ.Definitiones duobus modis uitioſæ fiunt. uel cum quid plus,uel minus eſt. Pulchrè à philoſophis dictum eſt,unamquamq; mediocritatem duo uitia contraria defectionem uidelicet, atq; exceſſum,habere. Sic iuſtitiæ,quæ ex uirtutibus una eſt diminutio,& immoderata plus habendi cupiditas adiacent,Is enim deficit,qui minus,quàm oporteat facit. Auarus ille eſt, qui plus uelit, quàm deceat. Fortitudo item uirtus eſt,cui timor,& temeritas utrinq; apponuntur. Verum & temperantia uirtus eſt.hæc enim hinc amentiam,hinc proteruitatem habet.amens eſt,qui parũ commouetur.proteruus qui nimium, & inordinatè concitatur Prudentia hinc ab imprudentia,hinc ab inſolentia circundatur.Quemadmodum hic,ita & in definitionibus habetur.Illa propria definitio eſt,quæ propriam rem definiens nihil externum complectitur,neq; quicquam adiacentium prætermittit. Huic,ut & aliis uirtutibus exceſſus,defectioq; adiũguntur, ut dictum eſt. Superabundantes enim definitiones rem cogunt deficere.Deficientes uero abundare. Vt hominis definitio eſt,animal,rationale,mortale,quæ hominem à reliquis omnibus. ſegregat, omnesq; comprehendit. Deficiens definitio rem facit abundare,ut animal mortale, non modo animal mortale homo eſt,uerum etiam canis,equus,& alia multa. Rurſus definitio, quæ ſuperuacua eſt,rem faciet deficere ſic,animal,rationale,mortale,grammaticum. Nunc non omneis homines,ſed grammaticos ſolos,& id merito, complectitur. Res quo magis compoſitæ ſunt, magis coarctant.ſimpliciora uerò dilatantur, & ſuper pluribus extenduntur.ut pote quæ rerum omnium primo,uniuerſaliq; principio ſint proximiora. Atq; iccirco animal ipſum per ſe, pluribus, rationale uero adiunctum paucioribus accommodatur: rationale uerò animal mortali adnexũ pauciora etiam comprehendit ſi *inſuper* grammaticum addideris, multo pauciora continebit. Quare deficientes definitiones rem faciunt abundare. abundantes uere rem faciunt deficere. Hęc itaq; ſignificans Porphyrius hanc generis definitionem deſcriptionemue ab iis duobus,quę definitiones uitiare ſolent,alienam eſſe demonſtrat. Neq; enim abundans deficere, neq; deficiens abũdare rem facit. Triplex genus eſſe diximus,aliud ante multa,aliud in multis,aliud poſt multa,quod etiam poſterius dicitur genitum,& intelligentiis comprehenſibile, tanquam in mente noſtra concipiatur. Porphyrio itaq; non de eo,quod ante multa,nec de eo,quod in multis eſſet, ſed de illo,quod poſt multa eſt,hoc eſt notitia comprehẽſo dicere propoſitum erat, & propterea DESCRIPTIONEM CONCEPTVS, id eſt generis, quod conceptu comprehenditur. quod eſt,quando rem ex eodem conceptu, notitiaue, qua à nobis animo intellecta fuerit definimus. Vt ſi propria opinione hominem conceperimus,per eandem ratiocinantes dixerimus hominem animal eſſe rationale mortale. Porphyrius itaq; nihil ſuperabundans,minuſue ab hac notitię cõceptuſue generis deſcriptione comprehendi confirmat.

DE SPECIE.

Species de cuiuſq; forma dicitur. qua quidem ſignificatione primam ſpeciem imperio dignam eſſe dictum eſt.


GEneris ſermonem perfecit. Inter hęc igitur in ſecundo ordine collocandę fuerant differentię,ſed quoniam genus,& ſpecies ad aliquid referuntur,ſimulq; exiſtunt,cognoſcunturq;, propterea ſpeciem ante differentiam collocauit,non tamen naturalem ordinem ſecutus,ſed doctrinę. ſiquidem in generis pręceptione ſpeciei meminerat,auditorem itaq; non multum temporis hęſitantem tenere oportebat. Conſueta Ariſtotelis utitur norma, numerat enim prius omnes ſpeciei ſignificationes,deinde de qua loquatur,manifeſtat. Plures ſuperſunt ſpeciei ſignificationes,quas numerare non opus eſt,cum ſatis ſit, eas dicere, quę ad logices facultatem attinere uidentur. Duplicẽ igitur ſpeciei ſignificationem eſſe dicit. SPECIES DICITVR DE CVIVSQVÆ FORMA, qua ſignificatiõe formoſos dicimus,& deformes. SPECIES ITEM DICI

TVR ID, QVOD SVB GENERE COLLOCATVR ET DE QVA GENVS IN QVID EST PRÆDICATVR, uerum hæc definitio ſpecialiſſimæ pariter, ſpeciei eſt, ac non ſpecialiſſimæ. Itē SPECIES DICITVR, QVÆ DE PLVRIBVS ET NVMERO DIFFERENTIBVS IN QVID PRÆDICATVR. Quoniam horum nominum ſignificationes ſpecialiſſimæ inquam, & non ſpecialiſſimæ ſpeciei communi uſui nondum cognita fuerant, progrediens declarat, accipiens ſubſtantiam, prædicamentorum optimum. quæ quidem res eſt, per ſe ſubſiſtens, & ſupremum genus. Reliqua omnia prædicamenta ipſius ſubſtantiæ ſunt accidentia. Enim uerò omnia prædicamenta in ſubſtantia exiſtunt. & in ipſa cognoſcuntur. & abſq; illa conſiſtere non poſſunt. Subſtantiam igitur per ſe ſubſiſtere, nouemq; reliqua huic accidere manifeſtum eſt. Subſtantiam igitur ſuſcipit, ex qua cathenā huiuſmodi connectit. Subſtantiæ aliud corpus eſt. aliud corporis expers. corpus aliud animatum. aliud inanimatum. animati aliud animal eſt, aliud planta, aliud uerò ex utriſq; compoſitum, quod Zoophytum uocant. animalis aliud rationale, aliud ratione carens. Rationalis aliud angelus, aliud homo, aliud dæmon. In iis igitur generaliſſimum genus, ſubſtantia contingit, ſpecialiſſima uerò ſpecies homo. horum intermedia genera quoq; dicuntur, & ſpecies, ſpecies uerò ad ſuperiorum reſpectum, generaq; quantum ad inferiora. Verū omnes ſpecies & ſpecialiſſimas & alternatas prior deſcriptio quæ ſic eſt, continebat. SPECIES EST QVÆ SVB GENERE COLLOCATVR, VEL DE QVA GENVS IN QVID EST, PRÆDICATVR. Vtraq; enim deſcriptio ſubiecto eadem eſt. Sola tantum differt habitudine. Multa profecto, quæ ſubiecto ſunt eadem, habitudine differre comperiuntur. uelut aſcenſus, & deſcenſus. Idem enim ſubiectum ſcalam habent, habitudine tamen differunt. Deſcenſus enim eſt à ſuperioribus ad inferiora declinatio. Aſcenſus uerò ab inferioribus ad ſuperiora regreſſio. Similiter ſemen, & fructus, ſubiecta quidem eadem ſunt, habitudine tamen, & ratione differunt. Eo modo quo in iis, eodem etiam in duabus ſpeciei deſcriptionibus uidetur. quarum altera à genere incipiens in ſpeciem deſinit. altera uero incipiens à ſpecie deſinit in genus. Sola igitur habitudine inter ſe differunt, ſubiecto eædem ſunt. Incipit autem ab notiori ſpeciei ſignificatione, quia cum ſpecie, de qua philoſophi loquuntur, quandam habet ſimilitudinem. Vt enim ſpecies quæ pro forma eſt, ſingulas hominis parteis continet, ita & ſpecies, de qua philoſophi differunt, omnia quæ particulatim diſtincta ſunt, comprehendit. SPECIES DE CVIVSQVE DICITVR FORMA. ut ſuperius cum de genere loqueretur, prius quam de quo tractaret, qualeue illud eſſe, æquiuocationem diſtinxit, uariasq; generis ſignificationes edocuit, ita hoc loco diſtinguit. deinde referat, de qua ſpeciei ſignificatio loquatur.

Species etiam illa dicitur, quæ ſub aſſignato genere collocatur, per quam ſignificationem hominem animalis ſpeciem, cum animal genus ſit. album ſpeciem coloris, triangulum item figuræ ſpeciem dicere conſueuimus.


Poſtquam ſpeciei ſignificationes annumerauit, & de qua habenda ſint uerba, determinauit, per hanc ſpeciei ſignificationem tanquam exemplum quonam modo ſpecies deſcendat à genere manifeſtat. triangulum enim accipit, & figuram, figuram, ut genus, at triangulum, ut ſpeciem. Carpitur tamen a nonnullis Porphyrius dicentibus improprie figurā trianguli genus, & triangulum figuræ ſpeciem poſuiſſe. inquiunt enim.

In quibus quid prius eſt, & poſterius, quod de iis communiter prædicetur. genus eſſe non poteſt, atqui triāgulus quadrato prior eſt. Ille enim ex tribus lineis, hoc autem ex quatuor conficitur. tria quidem quatuor priora ſunt.




Et aliter. Omne quadratum in duos rectorum angulorū triangulos diuiditur, Agè igitur A/B/C/D/ quadratum confici ant. ſi lineam ab A/ ad C/ protraxeris iam in duos triangulos rectorum ſecueris, alter ex A/B/C/ alter uero ex A/D/C/ Quo fit ut quadrato ſublato triangulus non amoueatur. ſed ſi triangulum abſtuleris, fieri non poterit, ut quadratum reſtet. Quare triangulus quadrato natura prior eſt. Idem quoq; in ceteris rectarum linearum figuris demōſtrabitur. in illa quæ quinq; & ea, quæ ſex angulis conſtat, necnon & in reliquis. Quarum

unaquæq; in triangulos diuiditur, Triangulus igitur iis omnibus prior eſt. Figura itaq;, quæ de iis communiter prædicatur, cum ipſorum genus eſſe non poſſit neq; ipſi huius ſpecies erunt. Sequitur igitur Porphyrium minus proprie triangulum figuræ ſpeciem dixiſſe. Qua quidem in re omnes Porphyrium defendere uolentes hallucinantur, & improprie ſed exempli gratia id dictum eſſe confitentur. Nos ſic dicentes omnem dubitationé tollemus. Si enim trianguli quadratorum elementa eſſent, ut nunquam niſi ex triangulis quadrata cõponerentur (ut in Timeo dicere uidetur Plato, cum omnes rectarum linearum figuras in triangulos, uelut in ſimpliciſſima elementa reſoluat,) uerum eſſet, quod diximus, & triágulus figurarum primus eſſet, neq; figura ipſorum genus exiſteret. Modo illud quoq; uerum ſit, non eſſe genus, quod communiter de iis, in quibus prius, poſteriusúe illud ineſt, prædicatur. Nunc nulla nos neceſſitas cogit, ut ex ea cauſa quadratum fiat, quod prius ſubiiciatur triangulus. Euclides enim in ſexto & quadrageſimo præcepto abſq; triangulo per rectas lineas deſcribi poſſe quadratum docet. Quadratum ſine triangulo per rectas quatuor lineas fieri poſſe nihil prohibet. quare falſum illud eſt. triangulo ſublato fieri non poſſe, ut quadratum reſtet. Si uerò dimetientem lineam adiicientes quadratum in duos triangulos diuidimus, iccirco priorem eſſe, & ut elementum uel partem eſſe triangulum dicent? cum poſſimus inſuper quadratum ipſum in duo quadrata altera parte longiora diuidere, & oppoſita latera coniungendo & ſeparando ut ab A ad B duo quadrata altera parte



longiora facere, Quæ ſeparabunt C & D. Quadrata altera parte longiora quadratis priora, eſſe dicentur? Nam hac ratione oppoſitum quadratum eo quadrato, quod alterà parte longius eſt, prius exiſteret. Si quadratum altera parte longius quod nunc duplicatum latus alterius habet duplici modo in duo quadrata diuideremus. Atqui ſi per circulum, dimetienté lineam traxeris circulum in duos ſemicirculos diuidet. hic erit A hic uerò B unumquemq; ſemicirculum figuram eſſe ex amphractu lineæ, quæ à ſemicirculo facta ſit, & recta linea dimetientis compoſita, manifeſtum erit. Quare ſimplicem circulorum figuram ex miſtis ſemicirculis compoſitam, ſimplicemq; circulum miſto priorem eſſe continget. Quemadmodum igitur in his opinione noſtra talem facimus diuiſionem, non tamen quadratum altera parte longius quadrato natura prius eſſe neceſſe eſt. Et ſi rurſus quadrata altera parte longiora in duo quadrata diuidi poſſunt, ſi quidé alterum ex lateribus duplicatis alterius cauſa ſit. Si igitur rurſus miſtæ circuli figuræ ex lineis rectis & globoſis compoſitæ priores ſunt; ſic etiam quadratum ſe habet, quod per dimetientem in duos triangulos diuiditur, non igitur ob id ex triangulis quadratum compoſitum, & triágulos quadratis natura priores eſſe neceſſe eſt. Rectè igitur Porphyrius Quadrati figuram genus eſſe affirmauit.



Quod vero cum de genere tractaremus, ſpeciei meminimus, genus id eſſe dicentes, quod de pluribus et ſpecie differentibus in quid eſt prædicatur, et ſpeciem id eſſe dicimus, quod generi ſubyciatur, noſſe oportet, quod cum genus alicuius genus ſit, ſpeciesq; alicuius ſit ſpecies, in vtrorumq; rationibus vtriſq; uti neceſſe eſſe.

Quod uerò nón citra ueritatem hoc dixiſſet Porphyrius reciprocata ſe demonſtratione uti oportere exiſtimauit. quæ apud philoſophos damnatur. utpote quæ eadem priora & poſteriora faciat, & propoſitionum ordinem, concluſionumq; commutet. Illud enim, quod primum eſt ſecundum, & quod ſecundum, primum facit. eademq; ſibiipſis cognitiora, & minus cognita reddit. Vt ſi quis mihi æternam eſſe animam dixerit, ſibi dicam, certè quonam pacto? quoniam, reſpondebit, anima à ſeipſa mouetur, quod ſeſe mouet, nunquam ne moueri quidem definit, quod finem non habet motus, æternum eſt. anima igitur æterna eſt. Si rogauero præterea, unde id manifeſtum ſit, animam à ſeipſa moueri, ſic demonſtrare uolens dicet. Anima æterna eſt, quod æternum eſt, nunquam moueri definit, quod ne à motu quidem ceſſat, ſeſe mouet. anima itaq; à ſe ipſa

à ſeipſa mouetur. Huiuſmodi demonſtratio reciprocata dicetur. Animam æternam cum demonſtrare uellet, quod à ſeipſo mouetur, primæ propoſitionis loco, æternum autem pro cõcluſione ſuſcepit. Volens rurſus à ſeipſa moueri animam demonſtrare, æternum, quod prius concluſio fuerat, prius accepit, & per ſe moueri, cui ſuperius princeps datus fuerat locus, prius reddens poſterius, concluſionem facit. Quare reciprocata demonſtratio eſt, quæ propoſitiões in cõcluſionem, & concluſionem in propoſitiones tranſmutat. quapropter reiicitur, & repreheditur. Omnis enim demonſtratio propoſitiones apertas & manifeſtas aſſumit, concluſionemq́; obſcuram per propoſitiones claram reddit, & manifeſtam. Illa igitur criminatione digna eſt, quæ horum ordinem præuertat. utpote quæ obſcuram concluſionem in propoſitionis ordine aſſumẽs clarum faciat propoſitionemq́; iam pro confeſſo acceptam, concluſionem eam faciens incognitã reddat. Mulierem præterea lac habere cum demonſtrare uoluerimus, dicemus, mulier hæc peperit, quæ peperit habet lac, Mulier igitur hæc lac habet. Volentes inſuper demõſtrare ipſam peperiſſe, dicemus, mulier habet lac, habens lac, peperit, mulier igitur peperit. Hic etiam eadem eiſdem & priora, & poſteriora manifeſtaq́;, & minus cognita præſumpſit, nam peperiſſe quod magis liquet, & prius eſt, accipimus, obſcurum autem, & poſterius lac habere. Deinde apertum & prius lac habere, de quo poſtea minus conſtat, poſteriusq́; eſt, peperiſſe. In hac itaq; demonſtratione eadem eiſdem priora & poſteriora, cognitiora & minus cognita accipiuntur, omnis enim demonſtratio uel ex cognito rem cognitam declarat, uel contra rem minimè manifeſtam ex claris referat. Illa etenim demonſtrationum optima eſt, quæ rem opertam re aperta aperiat. reliquæ igitur tres falſæ, neq; omnino demonſtrationes erunt. quoniam nec cognitam ex opertis, neq; tenebricoſum ex tenebricoſo manifeſtum reddere poſſunt uerum cognita res demonſtratione nõ indiget, ut uidelicet ab alia cognita declaretur. multo itaq; abſurdius eſt, cognita ex occultis declarari poſſe, confiteri. Vna igitur ſola proprie demonſtratio eſt, quæ ex cognito rem incognitam claram reddit. Meritò itaq; reciprocata demonſtratio damnatur, cum manifeſta, & priora, obſcura faciat, & poſteriora, & econuerſo. Sed quoniam philoſophus Porphyrius hac ſe uſurum cognouit, in generis doctrina ſpeciem, in ſpecieiq́; genus accepit. Quod cum quis ſibi id uitio uertere potuiſſet ſe ipſum ſic dſendit. GENVS, Inquit, SPECIEI EST CENVS, ET SPECIES GENERIS EST SPECIES. Eum igitur, qui de genere docet, ſpeciei, & qui de ſpecie, generis mentionem facere neceſſe eſt. Illa enim, quæ ad aliquid referuntur, ſimul exiſtunt, & unà cognoſcuntur. ſed genus alicuius, ſcilicet ſpeciei genus eſt, ſpeciesq́; alicuius, generis uidelicet, ſpecies eſt horum igitur alterum abſq; altero cognoſci non poteſt, ergo qui de uno docere uult, alterius quoq; meminiſſe oportet. Nam ſi quis alterum eorum, quæ ad aliquid relata ſunt, ignorauerit, nunquam reliquum intelliget.

Speciem item hoc tradunt modo. ſpecies eſt. quæ generi ſubiicitur. & de qua genus in quid eſt prædicatur.

Geminas ſpeciei deſcriptiones ſubiecto eaſdem tradit. nam ambæ de pluribus prædicantur, ſed habitudine differunt. ut aſcenſus & deſcenſus, cum ſubiecto ſint iidem, & habitudine differant, deſuper enim uenientes deſcenſum, ab inferioribus ad ſuperiora aſcenſum nominamus. ſic in hoc loco, duo reſpectus ſunt. ſpeciei uidelicet ad genus, quatenus ſub ipſo collocatur. & generis ad ſpeciem, quantum ipſam comprehendir. Generiſq; ad ſpeciem habitudo, deſcenſui ſimilis eſt. & ſpeciei ad genus, aſcenſui. Et hæ quidem maximè opportunæ ſunt deſcriptiones. Perfectã deinceps deſcriptionem ex uocuum diuiſione acceptam hoc tradit modo.

Item ſic. ſpecies eſt quæ de pluribus, & numero differentibus in quid prædicatur.

Quærendum nunc eſt, qua nam de cauſa Porphyrius ſpeciem deſcripſerit. In qua quæſtione, cauſa, quæ de genere reddita eſt, non habet locũ, cũ ſpecies genus habeat. Exploratiſſimam igitur & communem cauſam dicemus. Definitiones rerum ſunt definitiones, quarum naturam manifeſtant. Genera & reliqua, res non ſunt, neq; determinatam naturam habent, propterea ſub nullum prædicamentum reducuntur. ſed in omnibus conſiderantur, Nam in ſubſtantia, qualitate, quantitate, reliquiſq; prædicamentis genera, differentiæq́;, & ſpecies inſunt. hac de cauſa res non ſunt. ſed habitudines res ſignificantes, Quoniam igitur definitiones rerum ſunt (ut diximus) & uoces res non ſint, iure definiri uoces non poſſunt. alteram itaq; ſpeciei deſcriptionem prædi-

ctæ,& à genere aſſignatæ ſimilem tradit.

Sed hæc aſſignatio ſpecialiſſimæ ſpeciei ſit,quæ ſolum ſpecies eſt,& non genus reliquæ vero & non ſpecialiſſimarum.Idq; quod diximus,hoc pacto manifeſtum fiet. in ſingulis prædicamentis nonnulla generaliſſima,nonnulla uero ſpecialiſſima ſunt.aliqua etiam horum intermedia.quę tum genera tum ſpecies dicuntur.generaliſſimum id eſt.quo nullum eſt ſuperius. ſpecialiſſimaq́; ſpecies ea eſt,infra quam nulla magis infima collocatur.Generaliſſimi præterea .ſpecialiſſimeq́; intermedia genera eadem ſpecieſq; ſunt.ad aliud quidem aliudq; ſuſcepta.

Poſterior inquit,hæc deſcriptio non omnibus ſpeciebus,ſed ſpecialiſſimis tantum congruit. Vt autem quaſdam ſpecialiſſimas ſpecies eſſe cognoſceremus,hac diuiſione uſus eſt.Subſtantiæ aliud corpus,aliud corpore caret.corpus inquam tum animatum eſt , tum inanimum. Animati aliud animal,aliud plantæ,& animalis particeps,aliud uerò planta.Planta tres uires habet,nutriendi,augendi,generandiq́;,animal præter has ſenſus particeps eſt , necnon ſe alio transferendi facultatem habet.Illud uero quod planta eſt,& animal,inter hæc medium ſortitur locum,nã præter tres illas uires tactu prædictum eſt,uerum è loco ad locum non tranſit.ut oſtrea,& ſpongię, quæ in petris naſcuntur,ſi quid contrarium aduenerit contrahuntur.Si uero iucundum quid , diffunduntur.Animalis præterea aliud rationale,aliud rationis expers , Rationale tum homo, tum Deus,hominum tum Socrates,tum Plato,& ſingillatim,de quibus philoſophi(ut ſæpenumero dictum eſt)non loquuntur.Hac igitur in diuiſione ſubſtantia prior eſt . poſterior homo. Quæ uero ſubalterna dicuntur,horum media ſunt.Quæ ad aliud relata genera ſunt , ad aliud uero ſpecies.Dicitur itaq; ſubſtantia ſupremum genus, homo uerò ſpecies infima . alia enim & genera ſunt,& ſpecies,ut ad aliud referuntur.Corpus ſubſtantiæ ſpecies eſt,genus animati . animatum corporis ſpecies genus uero animalis.animal animali ſpecies , hominum genus homo, animalis ſpecies,genus eſſe nequaquam dicitur.quoniam non de ſpecie, ſed numero differentibus,ut de Socrate, Alcibiade,& Platone prædicatur,Genus igitur non eſt,neq; indiuiduũ. quandoquidem ſingula indiuidue contineat,erit itaq; homo ſpecies ſpecialiſſima.Inquit poſteriorem ſpeciei deſcriptionem aſſignatam omnibus ſpeciebus non competere , utpote quæ nec animali, nec animato , ſed ſolum ſpeciebus ſpecialiſſimis , ut homini , cani , equo , boui , leoni , qui tantum ſpecies ſunt , conueniat.

Quod diximus vno prædicamento explicetur ſubſtãtia genus eſt,ſub quam eſt corpus ſub corpore animatũ corpus eſt.ſub quo animal conſtituitur,ſub animali,rationale animal,ſub quo homo collocatur ſub homine Plato.Socrates,& ſinguli homines ponuntur,ſed horum ſubſtãtia generaliſſimum.& ſolum genus eſt.homo vero ſpecialiſſima dũtaxatq; ſpecies contingit corpus ſubſtantiæ ſpecies , animati corporis genus,atqui corpus etiam animatum,corporis ſpecies eſt , animalis genus.animal præterea animati corporis ſpecies eſt.& rationalis animalis genus,rationaleq́; animal animalis ſpecies,hominis genus.homo rationalis animalis ſpecies cum ſit,hominum, qui ſingillatim ſunt,non amplius genus.ſed ſpecies tantum erit.

Omnibus prædicamentis genera,ſpecieſq́; inſunt , uerum ſubſtantia genus generaliſſimum eſt.Sub hanc,corpus,huic ſubiicitur animatum.hanc ſolam diuiſionis partem incorporeũ prætermittens accepit.quoniam quæ ſentimus nobis ſunt cognitiora,ſub animatũ animal, ſub hoc rationale,cui etiam ſubiicitur homo,ſed ſubſtantia genus generaliſſimum , quod genus tãtum eſt.nihil enim eſt ſubſtantia prius.homo uero ſpecialiſſima,ſpecieſq́; ſolũ eſt . nihil enim eſt poſt hominem in uniuerſalibus.Corpus genus eſt,& ſpecies,ſed ſpecies ſubſtantiæ , genus uero animati.animatum corporis ſpecies animalis genus.animal animatum dicitur . & ſenſus particeps. Animatum illud eſt,quod augetur,nutritur,ſimileq́; ſibi congenerat.Plantæ igitur harum uirium participes ſunt.anima enim ſunt prædita , uerum animalia non exiſtunt . oſtrea præterea, & ſpongiæ prætérquam quod animata ſunt,ſenſus uim habent.nam ſi quid aduenerit contrarium,contrahuntur,ubi uero illud abierit,gaudent.Quæ tum plantis,quatenus radicibus continentur,tum animalibus qua nutriuntur,& ſentiunt,ſimilia ſunt . Rurſus animal animati ſpecies,rationalis genus eſt.rationaleq́; mortalis genus,ſpecies animalis . Mortale ſpecies rationalis

hominis

hominis genus, homo rationalis ſpecies, non amplius Socratis, & Platonis genus.

Et quodcunq; ante indiuidua proximæ prædicatur ſolum ſpecies ſit. Neq; etiam genus. Quemadmodum igitur ſubſtantia, cum ſuprema ſit, ex eo, quod nihil ipſa ſuperius conſtituatur, generaliſſimum eſt genus. Ita & homo, quoniam ſpecies eſt, infra quam nulla collocatur, appoſita enim huic in ſpecies diuidi non poſſunt, ſed in indiuidua, eſt autem indiuiduum, vt Socrates, Platoq;, & hoc album, tantum ſpecies, eaq; vltima, necnon (vt diximus) ſpecialiſſima ſit. Media ſuperiorũ ſpecies. Inferiorum genera erunt. quo ſit. Vt hæc duas habeant comparationes, alteram ad ſuperiora. per quam illorum ſpecies eſſe dicuntur. alteram inferiorum, qua ipſorum genera dicuntur eſſe. Extrema vnam habent ſolam, nam generaliſſimum eorum, quæ ſub ſe continentur, cum omnium ſupremum ſit genus, habet habitudinem. Illam vero, quo ad ea quæ ante ſe collocata ſunt, nõ habet. Quandoquidem ſupremum eſt, primumq; principium, et (vt dictum eſt) quo nullum genus ſuperius eſt. ſpecialiſſima quoq; ſpecies unam, eorum ſcilicet. quæ ante ſe ſunt quorum eſt ſpecies, poſſidet. At eorum, quæ poſt ſe ponuntur, non diuerſam habet, ſed eandem. et indiuiduorum ſpecies dicitur, ſed dicitur indiuiduorum ſpecies, tanquam ea comprehẽdat. ſuperiorum præterea ſpecies, veluti ab ipſis contineatur.

Proxime quaſi ſtatim & abſq; medio, quoniam ante indiuidua animal eſt, ſed nõ ſine medio, intermedius enim homo eſt. Homo itaq; quoniam de indiuiduis proxime prædicatur, ſpecies tantum erit. QVO FIT, VT HÆC DVAS HABEANT COMPARATIONES. Subſtantia, quia nihil ſupra ſe eſt, unam tantum habitudinem ad ea, quæ poſt ſe ſunt, ſortita eſt. Præterea ſpecies unam tantum eorum, quæ ſunt ante ſe, non autem inferiorum comparationem habent. nihil etenim ipſis inferius eſt. Horum media duas, unam eorum, quæ antecedunt, qua ſpecies illorum ſunt, alteram ad ea, quæ ſub ſe collocantur, quorum genera dicuntur. Per primam igitur comparationem ſpecies, per ſecundam autẽ genera dicuntur. EXTREMA VNAM HABENT SOLAM, ſupremum ſcilicet genus, & infima ſpecies. SED DICITVR INDIVIDVORVM SPECIES. Infima ſpecies reſpectum quendam habet ad indiuidua, ſed nõ eundem quẽ ad ea, quæ ante ipſam ſunt, Homo Socratis & Platonis non dicitur genus, ſed ſpecies, à qua indiuidua comprehenduntur.

Hoc itaq; generaliſſimum determinant modo, quod genus cum ſit, ſpecies non eſt. Illud præterea, ſupra quod aliud non tranſcendit. ſpecialiſſimam ſpeciem ſic aſſignant, quæ quoniam ſpecies eſt, genus eſſe non poteſt, et ſpecies cum ſit, amplius in ſpecies non diuiditur. eſt etiam, quæ de pluribus, et numero differentibus in quid prædicatur. Extremorum media, ſubalternaq; dicta ſpecies ſunt, et genera. et ipſorum vnumquodq; ſpeciem eſſe, genusq; ponunt. ad aliud, aliudq; ſuſceptũ quæ à ſpecialiſſimis ad generaliſſima uſq; aſcendunt, genera, ſubalterneq; ſpecies dicuntur. vt agamemnon, atrides, et pelopides, tantalidesq;, et ultimo loco iouis.

Cum de ſupremo genere, ſubalternis, & infima ſpecie dixerit, nunc quod reliquum erat eadẽ deſcribit. SVPREMVM Inqt, GENVS EST, QVOD GENVS CVM SIT, SPECIES ESSE NON POTEST, ET SVPRA QVOD ALIVD NON TRANSCENDIT. INFIMA SPECIES EST, QVÆ CVM SPECIES SIT, GENVS NON EST, ET QVAM NON AMPLIVS IN SPECIEM DIVIDIMVS. ALTERNATA EA SVNT. QVÆ TVM GENERA SVNT, TVM SPECIES, de quibus diſſerere uolens, ut claram rem faceret à genealogia exemplum accepit. Inquit enim quemadmodum in genealogiis iuppiter quoddam principium eſt, & omnium ſupremus pater, filius eſſe non poteſt, Oreſtes ſolum filius erit, Agamemnon Oreſtis pater, Atrei filius Atreus Agamemnonis pater, Pelopis filius, Pelops uerò Tantali filius, Eodem modo in generibus, ſpeciebusq;, quæ apud philoſophos ſunt, Nonnulla, genera tantum exiſtũt, ut ſubſtantia. Nonnulla uerò ſpecies ſolum, ut homo.

Sed in genealogiis ad vnum, exempli gratia, iouem, principium ut plurimum reducunt. at in generibus et ſpeciebus hoc non ſe habet modo. Id enim. Quod eſt, omnium commune genus nõ exi-

ſit,neq; omnia eiuſdem generis ſunt(ut inquit Ariſtoteles)ſecundum unum ſupremum genus.

Huiuſmodi exemplum nonnullam forte dubitationem uidetur adducere , quam ſic dicens Porphyrius reſoluit.ſuſpicaretur quiſpiam,nunquid,ut in proſapiis , coniunctiones ad unũ ferè omnium,quæ ſunt principium,exempli cauſa,ad Iouem recurritur(fabule enim Iouem hominum diuumq; parentem uocant)ſic ne ſit,& hoc in loco,omnia prædicamenta ad unum prædicamentum recurrunt,ut ad id quod eſt.ſubſtantia enim eſt id quod eſt.& quantũ, reliquaq; prædicamenta,Quod ſi ita eſt,decem generaliſſima genera non erunt.Sed id quod eſt erit omnibus commune genus Quod inſinuans philoſophus id quod eſt prædicamẽtorum genus nõ eſſe dicit.Nos ita eſſe ſic demonſtrabimus.

Quæcunq; diuiduntur,uel ut genera in ſpecies diuiduntur,ut cum animal aliud cané,aliud equum,aliud bouem eſſe dicimus.Vel ut totum in partes.& hoc,duplici modo.uel in ea , quæ ſimilibus partibus conſtant,uel in ea,quorum partes diſſimiles ſunt . Quæ in ſimiles partes ſecantur,ſunt uenæ,arteriæ,oſſa,& carnes.hæc enim diuiſa eaſdem habent partes, & mutuò,totiq; ſimileis.In diſſimiles,quando corporis hoc caput,hoc manus,hoc pedes eſſe dicimus . Vel ut æquiuoca uox in diuerſas ſignificatiões,ut canis alius eſt terrenus,alius marinus,alius uerò coeleſtis eſt.Si igitur id quod eſt,neq; ut genus in ſpecies,neq; ut totum in partes, in prædicamenta diuidi demonſtrabimus,oportebit ut ſe tanquam æquiuocam uocem in uarias ſignificationes partiatur.Quod igitur non diuidatur,ut genus in ſpecies,hinc manifeſtum eſt . Genus cum in ſpecies diuiditur , omnibus æqualiter ſpeciebus ineſt.neq; in ſpeciebus ; quatenus generis ſunt participes.prius,poſteriusúe cernitur Homo non magis nec prius equo animal eſt.Item una ſpecie ſublata,reliquas auferri neceſſum non eſt.Quoniam & ſi dimoueatur homo,non tamen animal,& reliquæ ſpecies ; equus ſcilicet , leo , & canis abiicientur. Quod ſi id quod eſt in decem prædicamenta,ut genus in ſpecies diuiditur,in ipſis nec prius eſſe nec poſterius,nec ipſorũ aliud magis,aliud minus,ex eo quod eſt,aſſumere oportebat ſed prius,& poſterius in prædicamentis contingit,ſubſtantiam enim priorem dicimus,reliqua poſteriora.qua ſublata accidentia quoq; auferentur.Vnde magis eius quod eſt,particeps eſſe uidetur.Nam ſubſtantia efficit, ut accidentia fiut.quandoquidem in ipſa conſiſtunt.Sed ut ſubſtantia ſit,accidentibus non indiget.at accidentia non eſſent,niſi ſubſtantia eſſet,cui acciderent.Nam cum aliquid alicui accidit,prius intelligendum eſt id,cui quidpiam inhæreat.Id igitur quod eſt,non ut genus in ſpecies in prædicamenta diuidetur.quoniam etſi ablata ſit una ſpecies,non auferetur genus,(ut dictum eſt).Nũc uero ſubſtantia ſemota,reliqua prædicamenta dimouebuntur . ipſius enim ope conſiſtunt . Id itaq; quod eſt.non ut genus diuidetur.Fieri nequit igitur,ut id,quod eſt in decem prædicamenta,ut genus in ſpecies,neq; ut totum in partes,neq; ut in ſimiles uel diſſimiles partes diuidatur. Similibus partibus conſtans id eſt,cuius partes toti ſimiles ſunt,eo pacto ut ex toto partes denominentur.nec quicquam mutuo differant,ut lignum,& ligni partes lignum uocantur,nec inter ſe differunt.Similiter & nerui pars,necnon caro,& uenæ ex totius appellatione denominãtur.& inter ſe nullum diſcrimen eſt.Non igitur id quod eſt , ut ſimilibus partibus conſtans in decem prædicamenta diuidi poteſt.quod ſi diuideretur,partes,hoc eſt prædicamenta ex totius appellatione denominari,& ea quæ ſunt,dici oportebat.Sed multum & nominibus , & rebus mutuò differunt,aliud quippe ſubſtantia,aliud quantum,& quale ſignificãt.Rurſus id quod eſt diuerſarum partium,cum diuiditur,partes à totius appellatione denominatas nequaquã habet.diſcrimen enim inter ſe eſt,ut uultus partes ſunt naſus,oculi,quæ nec à toto denominantur,nec inter ſe ſimilia ſunt.naſum enim non uultum,nec oculum dicemus , ſequitur igitur , ut id quod eſt in decem prædicamenta,non uelut id quod diſſimilium partium eſt,diuidatur.Et ſi partes nomine & re differant,non tamen id quod eſt diſſimilibus partibus conſtare uidebitur, ſed ſi à totius nomine partes denominentur,Id quod eſt ſubſtantia eſt,& quantũ,& quale.Ea uerò, quæ diſſimilibus compacta ſunt partibus,à totius nomine minime denominantur.Si itaq; neq; ut ſimilibus,diuerſiſq; partibus conſtans id quod eſt in decem prædicamenta diuiditur.(Tanquam genus in ſpecies diuidi non poſſe demonſtrauimus)reliquum erit,ut uelut æquiuoca uox in diuerſas ſignificationes diuidatur.

Sed,vt in prædicamentis,decem prima genera tanquam decem prima principia ponantur.

Nunc,inquit,rerum principia tanquam decem genera ponamus.Decem genera tantum eſſe,

alterius

alterius eſt, ac perfectioris facultatis demonſtrare. In prædicamentis enim decem eſſe demonſtratur, nunc igitur ait, tanquam cognitum ſupponatur.

Sed ſi omnia ea quæ ſunt quiſpiam uocarit, æquiuoce (inquit) non uniuoce nuncupabit. Si enim id quod eſt commune genus eſſet, Omnia, quæ ſunt uniuoce dicerentur. decem quidem primis exiſtentibus nominis tantum denominatione, at non ſecundum nominis definitionem communicant. decem enim generaliſſima ſunt. ſpecialiſſimaq; in quodam numero, uerum non infinito collocantur.

Aequiuoca ſunt, quæ eodem nomine communicant, non tamen idem nomen rei ſignificatæ participant. ut canis terrenus, marinus & cœleſtis, omnes enim canis nomen commune habent. differunt tamen rebus à nomine ſignificatis. Vniuoca ſunt, quæ & nomen, & definitionem eandẽ habent. & homo, & equus, utriq; enim animalia ſunt. & communiter animalis nomen poſſidẽt, eandemq; ſecundum animal definitionem. quæ quidem eſt, ſubſtantia animata, & ſenſu prædita. Inquit igitur ſi omnia aopellauerimus Ea quæ ſunt, æquiuocè, non uniuocè dicemus. Aequiuoca ſunt (ut dictum eſt) quæ tantum nomine communicant. Vniuoca autem & nomine, & definitione eadem ſunt. Illud igitur quod eſt, ſolius nominis communitatem eorum, quæ ſub ſe ſunt, continet. Ea enim quæ ſunt prædicamenta dicuntur, ſed nominis definitione mutuo non communicant. Diuerſum eſt unumquodq; prædicamẽtũ ab alio, quà eſt. quà nominatur, quaq; definitur, hinc igitur ut æquiuoca uox id quod eſt in decem generaliſſima prædicamenta, In ſubſtantiam ſcilicet, Quantum, qualitatem, Relationem. ubi quando. Agere. Pati. Poni. & Habere diuidetur.

Indiuidua poſt ſpecialiſſimas poſita infinita ſunt. Quapropter à generaliſſimis deſcendentes ibidem quieſcere iuſſit Plato. *quinimmo deſcendere per medium diuidentes differentiis ſpecies conſtituentibus, infinitaq; prætermittenda eſſe uoluit. utpote quorum doctrina cõprehendi nõ poſſit.*

Infinita, non quòd ſint, ſed quòd iterum, atq; iterum fiant. DIFFERENTIIS SPECIES CONSTITVENTIBVS, id eſt, quæ ſubſtantiæ participes ſunt. ut animal in rationale, & rationis expers. ſunt præterea differentiæ ſubſtantiæ expertes. INFINITA PRÆTERMITTENDA. quoniam ſub ſcientiam non cadunt. Hæc in ſophiſta dixit Plato, ſcientia enim ſuis finibus continetur, quos egredi non licet. Illud igitur, quod non comprehenditur. ſcientia percipi non poteſt. Deniq; in libro de demonſtratione, ſingularium definitionem non eſſe, nec ſcientiam, ſed uniuerſalium tantum demonſtratum eſt.

Cum igitur ad ſpecialiſſimas ſpecies deſcendimus per multitudinem diuidentes tranſeamus oportet.

Id quod eſt, generaliſſimorum genus non eſſe dixit, quæ quidem definitam naturam ſortita ſunt, nobiſq; facilius cognoſcuntur. nunc quum de ſpecialiſſimis agat, an ueluti generaliſſima genera ſe habeant, perſcrutari uult. Nonnulla ſunt (inquit) quæ ſupremum & terminis concluſum numerum habent. nobiſq; cognita ſunt. decem enim ſunt generaliſſima genera. Alia uerò, infimæ ſpecies. ut homo equus, bos, canis, uitis, olea. poſt quæ ſtatim indiuiduorum diuiſio ſequitur. ſuapte etenim natura terminata, nobiſq; incognita ſunt. cum alia in aliis locis fiant, multæ ſiquidem ſunt animalium, plantarum, metallorumq; nobis incognitæ ſpecies. Quod uerò quæcunq; ſint, finibus concludantur, aſſumptione quadam euidentiori demonſtrabimus.

Infinito nulla multitudo maior eſt. hoc admiſſo, ſpecies ſpecialiſſimas infinitas eſſe ponamus. Cum itaq; in unaquaq; ſpecie plura ſint indiuidua, humana ſpecies una cum ſit, in millia fortaſſis indiuidua, homines uidelicet ſingulos diuidetur. Eodem modo equina ſpecies una eſt, pluráq; ſub ſe indiuidua continebit, & in reliquis omnibus ſic continget. Multo maiorem eſſe indiuiduorum, quàm ſpecierum congregationem, omnibus manifeſtum eſt. Si uerò indiuidua ſpeciebus, ſub quibus collocantur, multo plura ſunt, ſpecierumq; ſpecialiſſimarum ſit numerus infinitus, indiuiduorum numerus profecto maior erit, & latior quàm ſpecierum numerus infinitus. ſed infinito nihil multiplicius, uel omnino maius. ſpecierum igitur numerus infinitus eſſe non poteſt. nam cum numerum numero maiorem dicimus, minorem terminis concludimus et definimus. Quod aliquo maius eſt, exceſſu quoddam maius ſit neceſſe eſt. exceſſu amoto finibus reliquum includetur, determinabiturq;. Sic itaq; ſpecialiſſimas ſpecies infinitas non eſſe de-

monſtratum eſt. Eodē modo indiuidua, quæ ſub ſpecialiſſimis ſunt, & ſi ſpeciebus multipliciora ſint, infinita non eſſe demonſtrabimus.

Si quis indiuidua infinita dixerit, q̄ ſub unaquaq; ſpecie ſunt, infinita dicere cogetur, Verbi gratia. Indiuidua, quæ ſub humana natura ſunt, equinaq; ipſa per ſe ſe infinita eſſe, & reliqua, q̄ ſub aliis omnibus ſpeciebus, dicet. uel quæ ſub unaquaq; ſpecie ſunt, natura definita eſſe. uel omnium indiuiduorum, quæ ſub ſpeciebus ſunt, congregatam multitudinem infinitam eſſe confitebitur. Si igitur quæ ſub unaquaq; ſpecie ſunt indiuidua, infinita dicet, aliquid iterum infinito maius, & multiplicius eſſe continget. Singuli quidem homines infiniti, ſinguli equi infiniti, qđ igitur ex utriſq; componetur infinito erit duplo maius. quodq; ex omnibus multomagis, quod maximè eſt abſurdum. Nullo igitur pacto indiuidua ſub qualibet ſpecie poſita infinita eſſe poterunt. Sin uero definita eſſe dicentur, ipſæ quoq; ſpecialiſſimæ ſpecies, atq; ex omnibus compoſità multitudo definita erit. Quod ex determinatis componitur, idipſum quoq; determinatum eſt. Indiuiduorum numerus igitur definitus, ac determinatus eſt. Quod ſemper fit, ſi ſemp æternum eſt, infinitione eſt præditum. quo etiam pacto numerus infinitus dicetur. qui ſemper augeri poteſt, & non deficere. actu tamen acceptus definietur ſemper. ſic etiam arenam finitam eſſe demonſtrabimus. Vnde oraculum.

Noui ego arenarum numerum, pelagiq; profundum.

Si enim eēt arenarum numerus infinitus adiacto hominum numero ex utriſq; maior altero reddetur. erit igitur quid infinito maius, quod fieri nequaquā poteſt. ſpecialiſſimæ itaq; ſuapte determinantur natura, nihilominus nobis incognitæ. Indiuidua definitam naturam non ſortita ſunt, ex eo quod iterum, atq; iterum fiant, nobis autem facta, & actu exiſtentia. at ſpecies cum actu ſint, & factæ, ſi rerum ortus initium habuerit, cognoſcuntur, & ſi, quot ſint, ignoremus. ueruntamen cognoſcentur, quatenus per ipſarum naturam poterimus ut ſpecialiſſimæ ſunt ſpecies. quandoquidem ipſarum numerum terminis perfiniri probauimus.

At *cum ad generaliſſima aſcendimus, multitudinem in unum congregare neceſſe eſt. ſpecies enim eſt. quæ multa in unam congregat naturam.*

Hoc in loco dicere uult Porphyrius quid aſcendentibus à ſpecialiſſimis ad generaliſſima, & quid à generaliſſimis ad ſpecialiſſimas deſcendentibus accidat.

Multo etiam magis genus, ea uero quæ particulatim, & inſigillatim diſtincta ſunt, iis opponuntur, utpote quæ unum in plura ſemper diſſoluant. ſpeciei quidem communione complures homines unus ſunt. In iis autem quæ particulatim & ſingulatim ſunt, unus, & communis plures ſunt, ſingulare enim diuidit. Commune autem unum faciens colligit.

Species indiuidua ſingulatim tantum, genus uerò & ſpecies, & indiuidua comprehendit: Ab inferiori quidem, uel ab indiuiduis ad generaliſſima conſcendentibus multitudine res coanguſtantur, potentia tamen augentur, Species quoad multitudinem indiuiduis ſunt pauciores, potentia tamen & accretione ſuperabundant. eodem pacto ſpeciebus genera. donec ad unum generaliſſimum deuenerimus. Id quoq; iure factum cenſetur. quoniam una tantum rerum omniū cauſa eſt, & origo. propterea quæ huic proximiora ſunt, multitudine coarctantur. potentia uero augentur. Quæ uero longinquiora, uumero augentur potentia diminuuntur.

Cum genus & ſpeciem, quidq; horum utrunq; ſit. & genus unum eſſe, ſpecieſq; plures aſſignauerimus, generis enim ſectio ſemper in plures fit ſpecies. genus perpetuo de ſpecie, omniaq; ſuperiora de inferioribus prædicantur. at ſpecies neq; de proximo ſibi genere neq; de ſuperioribus dicitur. Quoniam oratio minime conuertitur. Neceſſe enim eſt, uel æqualia de æqualibus, ut hinnitus aptitudo de æquo. uel maiora de minoribus ut animal de homine prædicari, ſed minora de maioribus nequaquā. Neq; enim animal hominem etiam eſſe, ueluti hominem eſſe animal dixeris.

Porphyrius de quinq; his uocibus logicè potius ideſt, quatenus ad logicam tractationem ſpectent, ſeſe tractaturum pollicitus fuerat. Demonſtrata itaq; generis, ſpeciei; natura, quomodo in ſermocinandi arte horum cognitio utilis ſit uult demonſtrare. Quoniam omnis logica facultas circa demonſtrationem uerſatur, Demonſtratio quædam ratiocinatio eſt, in ratiocinationi

bus uero propoſitionum indigemus. Propoſitio ex duobus terminis conſtat. Quorum alter prędicatum, alter ſubiectum appellatur ſubiectum eſt de quo loquimur. prędicatum uero illud eſt quod de ſubiecto dicitur. ut Socrates ambulat, ſubiicitur enim Socrates, de quo eſt ſermo. prædicatur autem ambulat, utpote de Socrate dictum. Si dixeris præterea, anima per ſe mouetur, ſubiicitur anima, prædicatur, per ſe mouetur. Rurſus ſi dicam homo animal eſt. homo ſubiectũ eſt, animal uero prædicatum & in quacunq; propoſitione. Eodem quoq; modo uult de genere demonſtrare. aliqua uidelicet de aliquibus prædicari, nonnullaq; ſubiici, Et ut cognoſcamus quomodo complicitas propoſitiones faciant, ex quibus fit ratiocinatio, circa quã logica tractatio uerſatur. Genus, inquit, aliquod ſemper de ſpecie prædicatur, ut animal de homine, & de animali ſubſtantia, uerum ſpecies amplius de genere non prædicatur. quippe cum uerum nequaquam ſit, ſi quiſpiam ſubſtantiam animal eſſe, animalq; hominem eſſe dixerit. Hinc igitur genera ſemp̄ de ſpeciebus prædicari manifeſtum eſt, ſpecies de generibus nunquam. Et ut generatim dicam, prædicata pluris eſſe, quàm ſubiecta, ut animal homine, uel æqualia eſſe. ut ridendi facultas homini oportet. Quæ uero æqualia ſunt, mutuò prædicantur. Vt enim omnem hominem ridere, eodem modo omne quod rideat hominem dicemus. ET OMNIA SVPERIORA DE INFERIORIBVS, ut ſubſtantia de corpore, corpus de animato. animatum de animali: animal de homine. prædicatur.

Propoſitio. ſubiectum. Prædicatum.

De quibus vtiq; ſpecies, de eiſdem etiam ſpeciei genus. & generis genus ad generaliſſimum vſq; prædicari neceſſe eſt. Nam ſi Socratem hominem dicere, hominemq; animal, animal deinde ſubſtantiam eſſe, verum eſt, eodem etiam modo Socratem animal dicere, & ſubſtantiam, verum erit. Cum enim ſuperiora continuo de inferioribus prædicentur, ſpecies de indiuiduo prædicabitur, genus vero de ſpecie atq; indiuiduo, generaliſſimum & de genere, generibusuè ſi plura media ſubalternaq; ſint, & de ſpecie, deq; indiuiduo prædicatur.

Alterum utile facultati logicæ huiuſmodi præceptum tradit. ſi de quopiam ſpecies prædicetur, de eodem ſpeciei genus ad generaliſſimum uſq; prædicabitur. ut de Socrate homo. de homine animal dicitur, animal itaq; de Socrate necnon animatum de animali, igitur & de homine, & Socrate. item corpus de animato, igitur & de homine, & de animali, & de Socrate. Subſtantia demum de corpore prædicabitur, Hac igitur de cauſa ſubſtantia & corpus de animato, animaliq;, atq; homine, & Socrate predicabitur.

Generaliſſimum de omnibus, quæ ſub ſe ſunt, generibus, & ſpeciebus, atq; indiuiduis prædicatur, genus autem, quod ante ſpecialiſſimas collocatur, de omnibus & ſpecialiſſimis dicitur, & indiuiduis. Sola ſpecies autem de induiduis tantum. Indiuiduum de vno particulatim.

Nam ſi ſupera ſemper de inferis prædicantur, generaliſſimum de omnibus ſub ſe cõtentis generibus, ſpeciebus, & indiuiduis, ſpeciéq; de ipſis ſolũ indiuiduis p̃dicari, luce clarius apparebit.

Indiuiduum, Socrates, & hoc album, dicitur & hic procedens ſophroniſci filius, modo ſibi ſolus filius Socrates ſit. Huiuſmodi indiuidua dicunt, Quoniam unũquodq; ex proprietatibus cõſtat.

Addens hoc, album, quod uniuerſale erat, reddidit ſingulare.

Quorum eadem aggregatio nunquam in alio fiet.

Quod uerò QVORVM, non autem quorum unaquæque aggregatio, dixerit, hoc fuit in cauſa. Nam illud unaquæq; in aliis ineſſe poteſt. omnia uerò nulli ſimul contingunt.

Socratis proprietates in nullo quopiam particulatim eędem fient. Hominis vero communis inquam, eędem in pluribus, multo etiam magis in ſingulis hominibus, quatenus hoĩes ſunt contingẽt.

Hominis proprietates ſingulis quoq; hominibus contingere poterunt. Genera, ſpeciesq;, atq; indiuidua quaſdam habere proprietates ſciendum eſt. Generis tamen, & ſpeciei, in pluribus exiſtunt. indiuidui uero collectæ illi ſoli inſunt indiuiduo. Generis proprietates (ut dicam) ueluti animalis erunt, ſubſtantia animata, ſenſus capax hæ quidem pluribus, homini uidelicet, equo, caniq; & reliquis ſingillatim animalibus contingunt. Homo cum ſpecies ſit, has ſortitur proprie-

tates animal.rationale,mortale & mentis,ſcientiæq; capax,quæ hominibus multis inerunt. Ad indiuiduum,ut Socratem,accedamus,cuius proprietates ſunt,philoſophus,caluus,ſymus, obeſus,Sophroniſci filius,Athenienſis,& eiuſmodi.Quarum unaquęque per ſeipſam alius ineſſe poterit,quoniam alii ſunt,& calui,& ſymi philoſophiq;,& Athenienſes,& ſorte ſophroniſci filii,ſed omnium aggregatio,philoſophum ſcilicet eſſe,caluum,ſymum.obeſum,& in eodem fieri tempore Socrati ſoli,neq; alteri cuipiam continget.

Indiuiduum igitur à ſpecie,ſpecies à genere continetur.nam genus quoddam totum eſt.Indiuiduum autem pars.ſpecies vero & totum & pars.

Species totum eſt,ſi ad indiuidua referatur,quò uerò ad genus pars eſt.

At pars,alterius.Totum vero non alterius ſed in aliis.In partibus enim totum eſt.

Quoniam totum,& pars ad aliud referuntur.Eorum uero,quæ ad aliquid referuntur,nonnulla per rectum caſum aliqua uero per obliquum proferũtur,ut pater filii pater, per genitiuũ. Per datiuum ut amicus amico amicus.ſi dixero uerberans uerberatum uerberat,per accuſatiuũ fiet.Cum igitur id ſic ſe habeat,partem alterius & totum in aliis dixit, partem ſiquidem totius partem dicimus.& relationem per genitiuum facimus.ſed totum partis totum dicimus nequaquam.quoniam totum ex una parte non componitur.ſed ex pluribus. uerum totum partibus totum dicimus,& relatio per datiuum fit.partibus enim totum eſt.Rectè itaq; totum, nõ alterius,ſed in aliis,à Porphyrio dictum eſt.Id quoq; ſcire oportet,per genitiuum multitudinis,non tamen ſingularem,hoc modo,dicere potuiſſe, totum partium totum eſt. ſed Porphyrius communem potius loquendi conſuetudinem ſecutus,per datiuum dicere maluit.

De genere igitur,& ſpecie,quidq; generaliſſimum ſit,& ſpecialiſſima,quædam etiam genera eſſe & ſpecies,nonnulla indiuidua.ei quot genus & ſpecies dicantur modis,dictum eſt.

Inquit enim QVÆDAM GENERA ET SPECIES ſubalterna uidelicet,quæ generis pariter,ac ſpeciei ſubeunt rationẽ. ET QVOT GENVS, ET SPECIES DICANTVR MODIS. Genus tribus,& ſpeciem duobus modis dici declarauit.

DE DIFFERENTIA.

Differentia communiter & propriæ,maximeq; proprie dicatur. Communiter quidpiam ab alio differre dicitur,quoniã quouis modo varietate quadã vel ad ſe, vel ad aliud diſtinguit,

QVid fuerit in cauſa,cur,cum differentia ſpecie prior ſit, de ſpecie prius diſputatum fuerit,iam reddita ratio eſt.Nunc de differentia dicturus,& ſupra memorata Ariſtotelis regula utens,differentiæ numerat ſignificationes.Sed ut dicenda conſequamur. ita dicemus.Differentia quarundam rerum inter ſe diſſimilitudo,uarietasq; eſt.ipſa itaq; uarietas, uel ſeparabilis eſt,& ſecundum aliquod accidens,Quæ uidelicet ab illis,in quibus eſt, ſuapte natura ſibi eſt comparatum ut ſeparari queat.uel non ſeparabilis ſic ut differunt mutuo aliqui ſi alium ſtare, alium uero ſedere contingat.& ſi is,qui ſtat,ſedere,quiq; ſedet,ſtare poſſit.in hoc tamen mutuo differunt.Illa igitur differentia ſeparabilis appellatur,quam Porphyrius COMMVNITER uocat.Cum non alicui præcipue.ſed communiter omnibus inſit.& ipſa quidem ſeparabilis eſt, & ſecundum accidens differentia.Sed ſi inſeparabilis differentia ſit,uel per ſe ineſt,hoc eſt ſubſtantiæ ſubiectum complet,uel per accidens,nihil uidelicet perficiens ut omnis res ſit.Illa enim inſeparabilis eſt,& per accidens,ut aduncum uel ſymum naſum,uel glaucos oculos habere. Aliqui etenim inter ſe differunt,ex eo,quòd alter ſymus eſt.alter uerò aduncus. Illæ uerò per accidens ſunt,quæ ſubiectas ſubſtantias non conficiunt.poteſt enim Socrates ſymus non eſſe,& tamẽ ſupereſſe.Inſeparabiles,quæ a ſubiecto ſeparari non poſſunt,à Porphyrio PROPRIÆ dicuntur. alicui enim determinatum eſt ſymum eſſe,Quę autem inſeparabilis eſt,& minime per accidens, ſubſtantiam complet,ut rationale,mortale,nos enim à brutis,quatenus rationales ſumus,illa uero rationis expertia, differimus: quam quidem differentiam MAXIME PROPRIE uocauit. Differentiarum itaq; alia communiter autem,per accidens & ſeparabilis,Proprie uero, per accidens & nequaquam ſeparabilis,Illæ quoq;,quæ non ſeparantur ſubiectam ſubſtantiam perficiunt,& per ſe ſunt,maxime propriæ ſic dicuntur. Quoniam philoſophus omnis circa ea uerſatur,quæ

tur,quæ ad perdiſcendæ philoſophiæ uiam quæ & diuidendi,& definiendi ratio eſt,cumq; definitio etiam ac diuiſio nunquam ab accidente,ſed ex ſubſtantiis ſuſcipiatur,merito igitur,ſi differentia maxime propria inter ſubſtantias numeratur, de hac ſermonem facit.Prima itaq; differentiarum diuiſio hæc eſt.Quas rurſus ſubdiuidit. EX DIFFERENTIIS, aliæ diuerſum ſubiectum faciunt aliæ uero aliud.Communiter enim , proprieq; dicta differentia diuerſum facit. Diuerſum enim eſt ſedere,ſtare,& ſymum eſſe aduncũq; maxime uero propriæ aliud,aliud quidem rationale & aliud rationis expers.Diuerſum quidem circa eorum,quæ rei ſunt,immutationem uerſatur.aliud uero omnino alterum facit.Rationale quidem animal aliud facit ab eo , q̃d ratione careat.ſedens autem à ſtante,non aliud,ſed diuerſum.ſimiliter aduncus,& ſymus.Cum igitur tribus modis dictæ ſint differentiæ communiter,ſcilicet,propriè & maximè propriè De maximè propriis eſt apud philoſophos ſermo.Communiter autem & propriè ad generum diuiſionem nequaquam conducunt.Nullus enimuero dicit,animal aliud ſedet,aliud ſtat, quandoquidem omnia non aſſumimus,neq; alia ſyma,nec per ſeipſa adunca affirmamus eſſe . Quod ſi in generum diuiſionibus inutiles ſunt eo magis ad definitiones.Illæ igitur ſolum qua maxime propriæ ſunt,utilitatem adducũt. MAXIMEQVE PROPRIE DICATVR, addens, DICATVR, id nomen ſe poſuiſſe ſignificauit . Antiqui enim cum aliquo trito uocabulo uterentur , dicere conſuerant DICITVR, at cum ipſi poſuiſſent, DICATVR VEL VOCETVR.

A Platone ſocrates alienatione quadam differt.Ipſeq; met à ſe puero vir , & aliquid faciens vel quieſcens.

Quatenus homines non differunt.ſed quatenus ille ambulat,ille ſedet.

Semperq; in iis diſſimilitudinibus ſpectatur,quæ ſunt , quomodo ſe quidpiam habeat proprie alterum ab altero differre dicitur,cum accidenti quod non ſeparatur,alterum , ab altero diſcordat.accidens minime ſeparabile eſt ueluti cæſius oculorum color,aduncitasq;,et cicatrix ex uulnere obducta.Magis proprie alterum ab altero tunc differre dicitur.Cum differentia ſpecies conſtituente differat.

Hoc loco differentiæ , quæ ſecundum accidens ſunt , intelliguntur QVOMODO SE HABEAT, id eſt ſecundum accidens,quoniam accidens in quo modo ſe habet,prædicatur.

Vt homo ab equo differentia ſpecies conſtituente rationalis qualitate diſcordat.

Ideſt qualitate,quæ ſpeciem perficit.Animal enim rationale,mortaleq; ſuſcipiens hominem , mortale uero,& rationis expers equum reliquaq; animalia ratione carentia conſtituit.Ipſæ itaq; differentiæ generibus appoſitæ ſpecies efficiunt.eaq; de cauſa differẽtiæ ſpeciẽ efficiẽtes dicunt.

Vniuerſe igitur omnis differentia alicui adiuncta alterum facit.ſed quæ communiter, & proprie ſunt,diuerſum.Maxime uero proprie aliud faciunt.quæ igitur aliud faciunt , conſtitutrices ſpecierum appellantur.quæ uero diuerſum,ſimpliciter differentiæ.Nam ubi rationalis differentia animali aduenerit,aliud efficiet at hæc mouendi diuerſum ſolum à quieſcente facit.quare hæc aliud.Illa uero diuerſum ſolum facit ſecundum igitur illas differentias,quæ faciunt aliud,& generum diuiſiões in ſpecies fiunt.& definitiones ex genere,huiuſmodiq; differentiis conſtituuntur. Secundum uero illas,quæ diuerſum ſolum faciunt.dumtaxat conſtituuntur diuerſa,& mutationes ipſius aliquo modo ſe habentis fiunt.

Aliam differentiarum tradit diuiſionem,inquit enim DIFFERENTIARVM, aliæ faciunt aliud.aliæ uero diuerſum.Quæ aliud efficiunt,per,ſe,quæ diuerſum,per accidens , ac ſeparabiles dicuntur Separabilem illam,quæ proprie,communiterq; eſt,appello. Etenim ipſa propria,cogitatione ſeparari poteſt. Socratem autem abſq; aduncitate,comatum tamen,uentre gracilem,Socratem tamen manentem cognoſcere poſſumus.Illa uero,quæ maximè propria eſt , amplius ab ipſo ſeparari non poteſt,nec intelligentia quidem.Nunquam enim hominem remoto rationali cognoſcere ualebimus,quoniam homo non eſſet.omnes enim homines ratiõales,omnesq; mortales.Quare ſymum quidem,aduncum.ipſo homine remanente intelligere poſſumus,at homi-

nem, ſi rationale, mortaleúe ab ipſo aberit; nunquam cognoſcetur. Differentiæ igitur propriè, communiterq; dictæ, ſeparabiles ſunt. Quando enim aliquis ſtans ſederit; non factus alius eſt, ſed diuerſus tantum. Quod ipſum Poeta de Vlyſſe per accidentia circa ipſum a Pallade mutato dicens ſignificauit.

Hoſpes diuerſus mihi nunc, atq; ante, uideris.

Non enim alium, Poeta dixit, ſed diuerſum. Sed etſi ſymus, aduncus intelligatur, non tamen alius, uerum diuerſus fiet. poterit namq; ille idem, & non aduncus eſſe. QVÆ VERO ALIVD FACIVNT, CONSTITVTRICES SPECIERVM APPELLANTVR, rationale non diuerſum hominem præſtat ab equo, ſed alium. Alia ſi quidem illa dicuntur, quæ ſubſtantia differũt ueluti homo, & equus, ut pauloãte dicebamus. SECVNDVM IGITVR ILLAS DIFFERENTIAS QVÆ FACIVNT ALIVD, ET GENERVM DIVISIONES IN SPECIES FIVNT ET DEFINITIONES EX GENERE, HVIVSMODIQVÆ DIFFERENTIIS CONSTITVVNTVR. At aliud rationale, aliud rationis expers, hoc mortale, hoc uero immortale. dicimus, qua quidem ex diuiſione hominem ſic dicentes definimus. Homo animal eſt, rationale mortale, mentis, & ſcientiæ capax.

Rurſus ſumpto principio dicendum eſt. differentiarum, aliæ ſunt ſeparabiles, aliæ non ſeparabiles, moueri enim, quieſcere, ægrotare, & bene valere, & id genus, ſeparabiles ſunt. at aduncum eſſe, vel ſymum, vel rationale, vel rationis expers, non ſeparabiles ſunt. Earum rurſus quæ non ſeparãtur, aliæ per ſe inſunt. aliꝗ vero per accidens. Rationale enim homini per ſe ineſt, mortale quoq;, & ſcientiæ capax. Atqui aduncum eſſe, vel ſymum per accidens & non per ſe.

Hinc perfectiorem incipit diuiſionem, & rurſus quoddam principium ſumit, ut ipſas differentias mutuo ſeparet. Differentiarum igitur aliæ ſeparabiles aliæ ſeparari non poſſunt, hac diuiſione communes à propriis, & maxime propriis diſtinguuntur. Rurſus aliæ aliud, alia uero diuerſum faciunt, & per hanc diuiſionem, maxime proprie à communibus, propriisq; diſcernuntur. Ex iſtis itaq; oppoſitionibus, quibus differentiæ mutuo ſegregantur, coniugationes fiunt. Quarum duæ dubio procul non conſtant. non enim ſimul cõſiſtunt. ſeparabile, & inſeparabile, uel diuerſum, & aliud. Ex reliquis quatuor coniugationibus una non conſtans eſt, ſeparabilisq; & aliud faciens cæteræ tres ſimul ſtant. Illæ uero, quæ ſeparantur, diuerſumq; faciunt. communes ſunt. Inſeparabiles uero, & aliud facientes, ſunt maxime propriæ. quæ autem non ſeparantur & diuerſum faciunt, ſunt per accidens, & communes, ut ſedere. proprie uero, ut aduncitas. maxime propriæ, ut rationale. Videbitur etiam eſſe quædam diſtincta coniugatio earum, quæ ſeparari poſſunt, & quæ aliud faciunt, re uera autem ipſa quoq; coniugatio non conſtat Rationale etenim per ſeſe homini contingit, & quatenus homo eſt ratiõalis eſt. quapropter omnes homines rationales ſunt. ſed aduncum nigrumq; eſſe, ſedereúe, aut ſtare, non per ſe, quoniam homo, quatenus homo, aduncus nequaquam eſt. uel omneis homines aduncos eſſe, uel nigros oporteret. Et ſi quiſpiam aduncus nigerúe non ſit, homo nihil minus eſt. Nulla igitur harum differentiarum aliam rem facit, ſed diuerſam. at rationale cum per ſeſe aderit homini aliud facit. Cum differentia igitur diuerſum faciente, hac de cauſa, ſtare non poteſt.

Quæ igitur per ſe adſunt, in ratione ſubſtantiæ comprehenduntur, atq; aliud faciunt. quæ uero per accidens, neq; in ſubſtantiæ ratione ſuſcipiuntur, nec aliud faciunt ſed diuerſum. quæ item per ſe ſunt nec magis, nec minus ſuſcipiunt.

In ſubſtantiæ ratione id eſt, rei ipſius naturam declarante. ſcilicet in definitione. Definitiones enim ex generibus, conſtituentibuſq;, & ſpecié facientibus differẽtiis fiunt. NEC MAGIS NEC MINVS SVSCIPIVNT. Nullus enim magis mortalis, minusúe, magisq; ratiõalis, aut minus dicetur. Pueruli enim & ſi ab organo ad rationales actiones impediantur, eodem tamen modo ſunt rationales. Illa inſuper ſuſcipere magis & minus omnino intelligendum eſt, quæcunq; contraria ſunt, & circa idem ſubiectum conſiſtunt, quæq; mutuo commiſcentur, ut albũ albo, magis, minusúe album dicitur, & nigrum nigro magis, uel minus, utpote cum idem ſubiectum, tũ album, tum nigrum fiat. hæcq; mutuo album, inquam, cum nigro commiſceantur, & nonnunquam puriora, nonnunquam uero magis miſta fieri contingat. In ſubſtantiis magis, minusúe ne

quaquam fieri ſolet, quia ſubſtantiæ nihil contrarium eſt. neq; rationale & rationis expers in eodem ſubiecto conſiſtere poſſunt, ſi quiſpiam diceret cur Ariſtoteles in prædicamentis ait, SVBSTANTIA EST, QVÆ MAXIME PROPRIE, ET, PRIMO, ET MAXIME DICITVR. Nam per MAXIME magis, & minus eam oſtendit ſuſcipere. Dicimus ea ipſa primũ ab Ariſtotele ad noſtram cognitionem dicta eſſe. primam enim & maxime, dixit indiuiduam, quoniã nobiſcum magis cognoſcitur, & prior comprehenditur, ab ipſa enim tempore, ſcientiaq; educti ad ſecundam, quæ per genera fit & ſpecies, deuenimus. Verum ſi cõcederet quiſpiam magis aut minus in ſubſtantiis eſſe. In iis non ſecundum latitudinem, ſed altitudinem collocaret, Socrates enim Platone magis homo non eſt. magiſue ratiõalis, neq; equus boue magis animal, nec homo magis iis. ſed ſecundum altitudinem, ut diximus. poteſt hoc ſic cognoſci. Superiora enim inferioribus perfectiora ſunt, quatenus ab melioribus deficiunt. ut magis rationale in mente eſt, quàm in anima. & magis in angelis, minus autem in cœleſtibus corporibus. Si ea animata ſint, & rationalia. & ſi magis in iis, quàm in nobis contingat. Aliter iterum.

Subſtantia magis in animali eſt, quàm in homine, & magis in illis. eodẽ quoq; modo, animal magis in homine eſt, quàm in Socrate. quoniam non continenter ſubſtantia Socrati, ſed per animalis intermedium ineſt. Id rurſus per hominis intermediũ ad plantas. Manifeſtum igitur eſt, quæ primum, proximeq; aliquo participant, magis, quàm quæ poſterius, & per alicuius intermedium ſunt, participare. Recte igitur eas, non per latitudinem, ſed altitudinẽ magis, minuſue ſuſcipere dictum eſt. Nam ſi per latitudinem magis, & minus ſuſciperent, eadem conſtitutio eorum, quæ ſub genere ſunt, rationalis inquam, & rationis expertis, mortaliſq;, & immortalis nequaquam eſſet.

Quæ autem per accidens, & ſi minime ſeparabiles ſint. Intenſionem tamen, & remiſſionem ſuſcipiunt, neq; enim genus magis, & minus prædicatur de eo, cuius genus fuerit. neq; differentiæ generis, quibus diuiditur.

Intenſio & remiſſio magis & minus ſignificant, hæc enim nomina à chordis per tranſlationẽ ſumuntur. Illic enim admodum intenſæ, uehementiorem ſonum, remiſſæ uero minorem reddunt, uehementẽ itaq; rei impreſſionẽ philoſophi intenſionẽ, minorẽ uerò remiſſionẽ uocarũt.

Nam hæ ſunt, quæ cuiuſq; rationem perficiunt, hoc quidem, quo unumquodq; eſt vnum et idẽ, neq; intenſionem, neq; remiſſione ſuſcipit. at aduncum, aut ſymum eſſe aut quoquomodo colore perfundi et intenditur, et remittitur. cum igitur tria ſint differentiæ genera, alterum earum, quæ ſeparantur, alterum uero earum, quæ non ſeparantur, quarum rurſus aliæ ſunt per ſe, aliæ vero per accidens, et iterum earum, quæ ſunt per ſe, aliæ ſunt quibus genera in ſpecies diuidimus, et alię quibus diuiſa in ſpecies conſtituuntur, velut animatum, ſenſus capax, rationale rationis expers, mortale, et immortale quę omnes ſunt differentię per ſe animalis. ſed animatum et ſenſus capax ſubſtantiam animalis conſtituunt. nam animal ſubſtantia eſt animata ſenſus capax, et mortale immortaleq;, ac rationale, rationiſq; expers ſunt differentię, quę animal diuidunt. nam per hęc genera in ſpecies diuidimus, ſed differentię, quę genera diuidunt complent, atq; ſpecies conſtituere poſſunt, animal enim ſcinditur iis differentiis, rationali videlicet, et rationis experte, atq; iis mortali et immortali ſed rationale et mortale differentię hominem conſtituunt. et rationale et immortale Deum, mortale quoq; et ratione carens animalia, rationis expertia. conficiunt ſic etiam ſupremã ſubſtantiam animatum et inanimatum ac ſenſus capax, et expers ſcindunt. etenim ſi animatum, ſenſuſq; capax cum ſubſtantia capiantur, animal perficiunt. ſi uero animatum, et ſenſus expers eodem modo ſumantur: plantam efficiunt. cum igitur eadem differentię alio: atq; alio modo ſumptę ſint conſtituentes: et diuidentes, omnes ſpecierum effectrices appellantur.

Quæ ſubſtantiam complent, eædem definitiones perficiunt, ſed definitiones eiuſdem eædem ſemper ſunt, homo enim non aliquãdo animal rationale, mortale eſt, aliquãdo uero eſt. Sed ſemper eodem ſe habet modo nec intenſionem ſuſcipit & remiſſionem. Non enim tum homo rationale, mortaleq; magis eſt, tum uero minus. VEL QVOQVOMODO COLORE PERFVNDI

hoc eſt album, uel nigrum eſſe, intenditur enim, & remittitur. quippe cũ aliquid magis album alio ſit magisq́; nigrum, aut ſymum, aduncumq́;, tribus igitur differentiæ ſpeciebus cognitis, aliæ quæ ſeparabiles ſint, aliæ uero non ſeparentur, earum rurſus quæ minime ſeparentur, alias per ſe, alias per accidens eſſe, magna adductus ratione de iis docere Porphyrius abſtinuit. cum ea, quæ ad diuiſionem, definitionemq́; pertineant, demonſtrare uelit, Sic igitur inquit, Differentiarum, quæ ſpecies efficiunt, aliæ conſtituunt, aliæ diuidunt, non tamen aliæ, atq; aliæ, ſed eædem ſunt, alibi enim diuidentes, alibi uero conſtituentes fiunt, aliter, atq; aliter ſumptæ. Rationale enim & rationis expers, mortale & immortale animalis ſunt differentiæ, eædemq; ipſe ſunt, quæ diuidũt & animal in hæc diuiditur. Si illæ quæ adiungi poſſunt, ſimul accipiantur, ut rationale & mortale differentiæ fient, quæ hominem conſtituunt ex iis. n. hominis natura componitur, & conſtituitur. Manifeſtum igitur hinc eſt, diuidentes differentias ad diuiſionis uiam utiles eſſe, quandoquidem circa hanc generis iu ſpecies ſectio uerſatur, conſtituentes uero ad definitionem, quoniam definitiones ex genere, & huiuſmodi differentiis fiunt.

Sciendum quoq; quòd ex iis ſimul iugatis coniugationes quatuor fiunt, Quarum tres conſtant, una uero nequaquam conſtat. ut exemplo ponatur. rationale & rationis expers, mortale & immortale, ecce quòd rationale, & mortale ſimul conſtant, eſt enim homo. Rationale uero & immortale deus. Rationis expers, & mortale equus Fieri enim non poteſt, ut quid ratione careat, immortaleq́; ſit de ea coniugatione, quæ erat rationis expers, & immortale quæritur, utrũ conſtet, aliquid quæ rationis expers ſit, & immortale, an non, Quod fieri poſſe, Poeta de Scylla dicere uidetur.

Immortale malum ſit.

Nonnulli genus quoddam immortale dæmonum ratione carentium opinati ſunt, quod inferiorem etiam ordinem ſortitum eſt quos quidem etiam dæmonas deuitamus, & accerſamus alii hoc genus eſſe mortale aſſerunt, quoniam quod immortale ſit idem ſemper eſſe rationale dicant. Ad ſubſtantiam igitur reuertamur. & eadem inueniemus atqui cum illæ duæ ſint oppoſitiones animati inquam, & inanimati ſenſum habentis, & non habentis, quibus compactis tres ſolæ coniugationes conſtituentes fient. reliquæ tres nequaquam. Animatum & ſenſus particeps animal eſt. animatum & ſenſus expers planta, inanimatum & ſenſu carens lapis inanimatum uero & ſenſus particeps, nihil. Quod enim ſenſum habet, multo magis naturalem animam nanciſcetur. Vbi enim naturalis anima eſt illic non omnino ſenſus erit at contra ubi ſenſus illic ſemper & anima NAM PER HÆC GENERA IN SPECIES DIVIDIMVS. quemadmodum enim quædam ſunt, quæ ſolum ſpecies, quædam & ſpecies ſunt, & genera, ſic & in differẽtiis ſit, Ex differentiis ſpeciem efficientibus aliæ diuidentes ſunt tantummodo, quæ quidem generaliſſimorũ ſupremorumúe ſunt, aliæ ſolum conſtituentes, & eæ ſpecialiſſimis infimisúe contingunt. Diuidentes uero, & conſtituentes ſubalternis competunt. Subſtantiæ. n. differentiæ corpus ſcilicet, & incorporeum ſubſtantiam tantum diuidunt, nunquam enim conſtituent. Hominis uero differentiæ rationale & mortale ipſum duntaxat conſtituunt. Mediorũ uero, ueluti animalis mortale, & immortale, rationis compos, & expers & diuidunt, & conſtituunt, quoniá aliquid ante ipſa ſupremum habent. Contrariæ enim animal diuidunt, ex eo quod ipſæ in alias ſpecies diuidant, ueluti mortale & immortale, in hæc enim diuiditur animal rationaleq́;, & ratione carens eodem modo. Subalternæ uero conſtituunt ſpecies, rationale enim, & mortale hominem conſtituunt. rationale, & immortale angelum. ratione carens, & mortale bouem. Differentiæ uero rationis expertis & mortalis reliquorum brutorum ſunt. Rationis expers uero & immortale, tanquá dubia ſubſtantiæ ne ſint, an non Porphyrius prætermiſit. Sunt enim (ut dixi) nonnulli dæmones, qui in inferiori ordine ſemper commorantur, meritasq́; illic animarum pœnas ſumunt. qui à nonnullis immortales, à quibuſdam uero, mortales putantur.

Quarum maxime vſus cum ad generum diuiſiones, tum ad definitiones confert, quibus cum illæ, quæ ſeparari per accidens non poſſunt, vtiles non ſint multo magis nec ſeparabiles.

Hoc loco quodammodo conſiderandum eſt, quòd cum dicat in definitiones accipi differentias, manifeſtæ uoces in accidentiũ definitionibus ſubſtantiæ participes eſſe debere, definitiones enim ex ſubſtantiæ participibus uocibus componuntur ut album, color eſt uiſum diſgregans. MAXIME præterea adiecit quoniam ſæpenumero propter humanã imbecillitatem huiuſmodi differẽtiis

di differentiis caremus,& definitiones ab accidentibus aſſumimus, ut in coruo differentiarum loco,nigrum accipimus,& in cygno album,ueluti cum equum definimus, animal eſſe dicimus rationis expers hinnitui aptum.Proprium uero cum ſubſtantiæ aduenlat differentiæ loco,quæ ſubſtantiam habet,ſuſcipimus,quoniam differentiam ſubſtantiæ participem equi,ſcilicet, & aſini inuenire non poſſumus.

Quas porro definientes dicunt.differentia,eſt,qua ſpecies genus excedit. nam homo hæc rationale,& mortale plus habet.ac animal.

Cum differentiæ ſignificationes numerare,& de qua philoſophi loquantur dicere uelit, hanc præcipuæ deſcriptionem aſſignat.inquit enim DIFFERENTIA EST, QVA SPECIES GENVS EXCEDIT. homo per rationale,& mortale animal excedit,ex hac definitione Porphyrius dubitationem mouet,quamq; reſoluit.duo quædam perſpicua dubitationis effata ſuſcipit,quę ſic a Peripateticis appellantur,quod per ſe credenda ſint effata autem huiuſmodi ſunt.Primum ſic ſe habet.Nihil fit ex penitus nihilo.ut abbacus ex ligno fabricatus eſt.quatenus enim contingit,lignum fuit.qua uerò minime,non fuit abbacus.nam ſi fuiſſet,artifice,ut fieret, non indiguiſſet.Rurſus lapides ſunt,partim uero non,tum uero non ſunt,quia nondum domus. quomodo nam igitur ex nihilo penitus quicquam fieret? Secundum effatum eſt. Contraria in eodem ſubiecto,in eodem tempore ſimul eſſe non continget. mutuo enim ſeſe contraria corrumpunt. hiſce preſumptis in hunc modum oritur dubitatio.Differentias uel ex genere in quo prius exiſtant,in ſpecies fieri,uel ex nihilo penitus,neceſſe,eſt.Horum utrunq; abſurdum.Nam ſi in generibus tanquã corporibus differentiæ fuerint,ſimul in eodem ſubiecto contraria erunt, mortale uidelicet,& immortale rationale,& ratiõis expers.quod abſonum quam maxime eſt.Quod niſi in generibus ſint differentiæ,quonam pacto in ſpeciebus? eſſet enim aliquid,quod è penitus nihilo factum eſſet,quod idem abſurdum eſt.ex nullo enim alio fieri poterunt, quoniam inter genera,ſpeciesq; nihil eſt,præter differentias intermedium.patet igitur maxima dubitatione implicitum eſſe hunc ſermonem.dubitans utiq; dubitationem peripatetico more ſoluit. Porphyrius contraria inquit in eodem,& eodem tempore actu ineſſe non poſſunt,at potentia poterũt. Potentia id dicitur,quod imperfectum eſt,neq; deductum ad actum.poteſt tamen,& idonee ad actum reduci.ut puerulus potentia grammaticus eſt.quandoquidem fieri poteſt grammaticus, & frigida aqua,potentia calida,poteſt enim calida reddi.hoc igitur potentia eſt. Actu grammaticus dicitur,qui grammaticam ſcientiam ſit perfectè conſecutus,ipſamq; reliquis tradat.& frigida aqua potentia dicitur calida,quæ iam calefacta actu dicitur calida.Dicit igitur contraria calidum inquam & frigidum actu ſimul alicui non adeſſe,potentia tamẽ poſſe.Tepida enim aqua neq; actu calida eſt,nec frigida,potentia tamen erit utrunq;.atq; infans potentia uirtutem habet & malitiam,Et materia potentia omnia contraria poſſidet.Si igitur genus materiæ rationẽ complectitur,ut poſt paulo dicetur,clarũ eſt,ipſum omnes potentia contrarias differentias habiturũ Et aliter.In quopiã cõtraria eẽ poſſunt.Si uero alterũ cõtrariũ habeat actu alterũ potẽtia poſſidebit,quod actu frigidũ eſt,potẽtia calidũ eſt.quoniã ſuapte natura cõparatũ eſt,ut calidũ fiat.Hoc enim dictum eſt,quoniã quædam ſunt, quæ alterum contrariorum tantummodo ſuſcipiunt. ut cryſtallus,quæ frigida cum ſit, calefiet.nunquam, igniſq; qui nunquam frigidus reddetur. Aer,& aqua utrunq; admittunt.Contraria enim potentia in eodem ſimul exiſtere poſſunt. Nã niſi duo contraria potentia permiſerit,nunquã actu in horum utrunq; trãſmutabitur,ſed quoniam duo contraria ſimul potentia continet,propterea in utraq; ſeorſum tranſfertur. hoc itaq; modo genera contrarias habere potentia differentias aſſerit,non autem ex nihilo penitus fieri. neq; contraria in eodem eſſe,actu poſſunt.Hac ſolutione Peripatetici utuntur.Quam etiã Porphyrius aſſignauit, quoniam librum ad Ariſtotelis prædicamenta utilẽ ſe ſcripturũ propoſuit. Platonicos huic ſolutioni repugnare ſciendum eſt.

Differentias enim actu generibus ineſſe uolunt,nec dubitandum,quin rationale, & rationis expers,mortale & immortale generibus ſubiiciantur.ad cuius rei demonſtrationem huiuſmodi rationibus utuntur.

Primum enim mortale,& immortale,rationale, experſq; rationis contraria nequaquam eſſe dicunt.cum ſeſe contraria mutuo corrumpant.hæc non modo ſeſe interimunt, uerũ etiam conſeruant,Rationale enim & immortale ſuſtinent mortale & rationis expers.Deus enim rationa-

iis cum ſit,immortalisq́; , mortalia omnia , brutaq́; ſuſtentat , & cuſtodit. Atqui homo ratione carentinm curator ſit,& conſeruator, Angeli uero immortales,mortales curant , & cuſtodiunt. Quare rationale,& ratione carens contraria non ſunt.nec mortale,& immortale . Quòd ſi contraria non ſunt,quid prohibet ſimnl generibus in eſſe.Quãdoquidem uires , quæ nequaquam rationis participes ſunt,iram dico,cupiditatemq́;,& ſenſus,nec non rationalis uita, ſimul in uno hominis corpore conſpiciuntur.

Item dicunt,ſint licet inter ſe contraria,nihil tamen abſonum eſt , eadem in eodẽ genere actu ineſſe,quoniam non ut in corporeo ſubiecto,ſed in incorporeo exiſtant.Genus enim incorporeũ eſt.Nam in ſubiecto incorporeo ineſſe poſſunt contraria,Quod uero duo contraria in ſubiecto corporeo ſimul ineſſe non ualeant,quoniam utrunq; uult eſſe ſubiecti particeps.ſingulare corpus per ſeſe,ea quæ mutuo ſe corrumpunt,non admittit.at in iis quæ corpore uacant id nõ ualet.Quippe cum natura contrariorum omninm in iis rationem habeat , ut oculus albi , nigriq́; rationes admittit.Anima ſimul,& eodem tempore contrariorum boni ſcilicet & mali , calidi frigidiq́; rationem habet.Contrariorum igitnr una eſt ſcientia.Quare à ratione nequaquam alienum uidetur,ſi quis dixerit contrarias differentias generibus ineſſe, Similiter etiam in abbaco atq; in eadem parte triangulum,quadratum.turbinemq; & gibboſum fingere ſimul non poſſumus.quoniam inter ſe figuræ confunderentur.quandoqnidem in re corporea collocentur . At in anima hæc omnia habemus non confuſa,quo fit,ut ea etiam diſtincte proponamus.& primũ ſecundumq́;,ac tertium theorema demonſtramus,ſecus uero(ut diximus)de turbine,quadrato & triangulo.Quare in iis quæ corpore uacant,contraria actu poterunt ineſſe. alia præterea ratione ſic probatur.

Si potentia differentiæ generibus inſunt,quid eſt quod ipſas ſpeciebus actu inſeruit ? omne, quod potentia eſt ad actum,à quodam,quod tum eſt,reducitur. Aqua frigida cum potentia calida ſit actu fit calida ab igne,qui tum calidus eſt. Et puerulus grammaticus potẽtia,actu fit grãmaticus ab eo,qui tnm grammatices peritus eſt.Si igitnr potentia eſſe poſſunt in generibus differentiæ,ſi ad actum adducantur,aliquo quodam actu differentias habente indigebunt , ſed nihil aliud in iis eſt.potentia igitur differentiæ generibus non inerunt.rurſus iterumq;.

Omne quod potentia eſt, imperfectum eſt,quod uero actu perfectũ,ſi igitur ſpecies actu differentias habent,genera uero potentia ; ſpecialiſſimæ omnibus perfectiores erunt , & digniores. generaliſſima autem omnibus imperfectiora,& indigniora,quod maxime abſonum eſt.Sequeretur uero effecta cauſis eſſe & perfectiora & meliora.Differentias igitur actu in generibus eſſe neceſſum eſt. Num igitur peripateticorum ratio omnino abiicienda eſt? ne id quidem. Triplex nãq; genus cum ſit,de eo,quod ante multa eſſe diximus,Platonici loquebantur . in quo differentiæ actu ſunt omniũq́; rationes illic actu contingunt.Peripatetici uero de eo genere,qnod in multis eſt,uerba faciũt.Naturã ab uniuerſalioribus ad ſingulariora ꝓficiſci,ſingulariaq; in uniuerſalibus potẽtia ꝓponi ſciẽdũ eſt.Ex imiſſo(exẽpli cauſa)hnmano ſemine primũ carunculã qnandã in matrice fieri,eãq́; corpus eẽ medici dicũt. Corpus nãq; uniuerſale.uerũ hoc,ut corpus,actu eſt ut aĩal potẽtia,nõdũ eñi aĩatũ actu eſt.Vbi uero alet,augebiturq́;,aĩabitur.actuq́; dicetur animatum,potentia uero animal.nec adhuc profecto ſenſum,motumq́; nactum eſt . quos poſtquã conſecutum fuerit,actu animal erit,potentiaq́; rationale,cum uero auditionis , & rationis particeps fuerit,actu rationis compos animal,potentia grammaticum erit. Ecce itaq; in generibus , q̃ in multis ſunt , differentias potentia eſſe conſpicimus , recteq; phyſicos hoc modo dicere patet. Quoniam Porphyrius librum hunc non ad Platonicam,ſed Ariſtotelicam facultatem utilẽ ſcribere uolebat,peripatetica ſolutione uſus eſt.cum in ſuperioribus dixerimus ipſas quinq; uoces incorporeas eſſe,nec adhuc probauerimus;nunc igitur demonſtrabimus.primum quidem

Corpus nunquam in maiori,æque ac in miriori conſideratur,ſicut in elephante , & formica. quinq; uero uoces eodem modo & in magnis & paruis.

Rurſus.omne corpus corpori adiunctum acceſſionem addit , at genus & ſpecies , & reliquæ uoces Socrati adiunctæ,nihil amplificant.

Item.nunquam idem corpus in eodem tempore in multis uidebitur,licet ſimile , non tamen idem.ut in Platonis crure elephantis os apparebit , non tamen idem eſt , cum illo Oreſtis genus autem,& ſpecies,eodem tempore in pluribus conſiderantur.

Sic etiam . Corpora diuiſa nunquam ſpeciem & eandem quantitatem ſeruant . Stater autem nummi genus in plura diuiſus unam formam,unamq́; ſtateris quantitatem non ſeruabit. Gene

ra uero & ſpecies eandem formam ſeruant, & quantitatem in Socratem, & reliquos diuiſa.

Iterum aliter. Omne corpus ex materia formaq; componitur, genus & ſpecies eo modo non fiunt. nũquam enim ſpecies ex ſpecie componetur. incorporeæ igitur quinq; uoces. Omnia iam pridem intelleximus. Reliquum, quod ſequitur, manifeſtum eſt. Veruntamen legamus, ut ſiqd obſcurum inciderit declaremus.

Animal enim horum neutrum eſt. Vnde nam ſpecies differentias haberent? Neq; enim omnes oppoſitas habent. Quandoquidem idem ſimul compoſitas ſpecies haberet. At potentia, vt arbitrantur, omnes differentias ſub ſe habet. ſed actu nullam. Quo circa nec quicquam fit. ex nihilo. Neq; oppoſitæ ſpecies in eadem erunt. eandem hoc quoque modo definiunt. differentia id eſt, quod de pluribus, & ſpecie differentibus in quale quid prædicatur. Nam rationale, & mortale de homine dicuntur, & quale quid homo ſit, ſed non quid ſit, explicãt, Nam ſi interrogati fuerimus, quidnam homo ſit, proprie animal reſpondebimus. deinceps vero quale animal rogati, rationale, mortale, conuenienter aſſignabimus.

Expers ſcilicet, quiddã. n. tale ſubaudiendum eſt. niſi animal rationalis, mortaliſq; particeps eẽt, unde hæc poſſet ſpecies ſuſcipere? NEQVE ENIM OMNES OPPOSITAS HABENT. quoniam contraria ſimul eſſent, VT ARBITRANTVR. Quoniam Porphyrius Platonicus ea dicebat, quę ſibi nequaquam recta uidebantur, Quomodo, inquit, de iis peripatetici putarũt, Naturaliter enim illi loquuntur, ſic recte, cogitauere, uniuerſalia, ſcilicet, potentia ſingularibus eſſe priora, ſicq; ad actum deduci. EANDEM HOC QVOQVE MODO DEFINIVNT. Perfectam differentiæ deſcriptionem ex earum uocum diuiſione ſuſceptam tradit. Ita enim erat, uocum aliæ ſignificant, aliæ nequaquam.

Nam res cum materia, formaq; conſtent, vel iis, quæ materiæ, & formæ rationem habent, ceu ſtatua ex materia, ære videlicet, & forma, quæ eſt figura.

Reddit nũc rõnẽ, quanã de cauſa, genus in qd, differẽtia uero in quale prædicet̃ inqt igit̃, Res oẽs uel ꝓprie ex materia formaq; cõſtãt uel ex iis, quæ cũ materia formaq; ſimilitudinem gerũt. oĩbus igit̃ naturalibus rebus ſubiectũ eſt. quod proprie materiam uocant turpẽ & informẽ. Eſt aũt proprie forma, quæ materiã, quodq; in ipſa eſt, ordinat. Sic igitur proprie materia, & proprie forma in naturalibus rebus ſpectatur. At in iis, quæ arte ſtruuntur quædam proportio eſt, materiæ, & formæ, cum ex ære fiat ſtatua, æs igitur materia dicitur, uerum improprie, attamen ſecundum proportionem quandam. non enim penitus æs informatum eſt, ſed quoniã artifici ſubſtratum eſt, ſtatuæ formam accepit. ueluti proprie materia. ea de cauſa materia dicitur, & figura cum forma proportionem habet, quoniam æs imprimat. Cum enim naturalibus una quædam materia ſubiecta ſit, ob id omnia mutuo tranſmutantur. Omnia enim inter ſe ſe nunquam mutarentur, niſi una quædam communiſq; materia omnibus ſubiecta fuiſſet. ſic igitur ænea uaſa mutuo tranſmutari poſſunt. ut ex lebete fiet ſtatua. Quæ uero eandem materiam non habent, inter ſe mutari nequeunt, ex lebete nunquã abbacus fiet Atqui ex aqua, aër, ex aëre ignis, quandoquidem ſubiectam eandẽ habẽt materiam. Quod frigidum, humidumq; ſuſcipiat, aqua fiet. Siccum uero, & calidum, ignis. & reliqua eodem modo. omnes igitur naturales res ex materia proprie, & forma conſiſtunt. ut homo, equus, & reliqua. At arte conſtructa ex iis, quæ eandẽ cũ materia portionem habent, ceu ligna, quæ quidem habent figuram, formæ reſpondent. Genus igitur, inquit, materiæ rationem, Differentiæ uero ſpeciei, poſſident. Nam ut in ſubſtantia nihil mutuo differt, ut materia, ut ænea uaſa, differentia tamen per figuram fit, ſic in genere, quatenus animalia ſumus, homo, equus, canis, nihil differunt, ſed ope differentiarum diſcrepant. Animal, ſi rationale, mortaleq; ſuſceperit, hominem faciet. rurſus ſi rationis expers, & mortale, equum conſtituet. Quare genus materiæ comparatur, differẽtiæ autem ſpeciei. Cũ igitur materia unicuiq; naturam, forma uero tale, qualeq; afferat, iure genus in quid eſt, ut materiæ comparatum, prædicatur. Differentia autem in quale, utpote quæ formæ ſimilis eſſe comperiatur.

Sic etiam homo communis, quiq; ſpecies eſt, conſtat genere, quod materiæ reſpondet. & differentiæ, quæ cum forma proportionem habet. Totum iccirco hoc animal rationale, mortale eſt

homo, vt ibi ſtatua.

Communis, ideſt uniuerſalis SPECIES EST, hoc eſt, ſinguli.

Rurſus hoc etiam modo deſcribunt. differentia id eſt, cui ſuapte natura eſt comparatum quæ ſub eodem genere ſunt, ſeparare. Rationale enim, & ratione carens, hominem & equum, qui ſub animali genere collocantur, diſiungunt. Iterum tradunt, differentia eſt, qua vnumquodq; differt. homo enim & equus genere non diſcrepant. Quoniam nos & equi animalia ſumus. Verum vbi rationale adiunctum fuerit, ab illis diſiungemur. ſumus item nos & angeli rationales, at adiectum mortale nos auellit ab illis.

Rationale, mortaleq; accedens hominem ab equo ſeparauit.

Atqui hæc de differētia, diligentius multo tractarunt, haud quoduis ſeparans ea, quæ ſub eodem genere collocantur, differentiam tradunt. ſed quod re vera quicquam rei confert, vt ſit.

Inquit autem HAVD QVODVIS SEPARANS, ideſt, non quæuis differentia, quandoquidem nec ea, quæ communiter, proprieúe, neq; ſedere, & ſtare, & aduncum, & ſymum, ſed maxime proprie differentia ſeparat. ceu mentis, & ſcientiæ capax hominem conſtituit. hoc enim ſoli homini conuenit, cum Deo, utpote omni cognitione meliori nequaquam competat, tāto minus brutis, quibus innatum non eſt. Præterea, non uniuſcuiuſq; ſcientiæ, ueluti grammatices tantum, ſed omnis.

Et vt *quid habeat, & quod rei pars eſt.*

Dixit enim QVID pro definitione, quoniam apud Ariſtotelem QVID, definitionem ſignificat. non ſecus quàm apud grammaticos ira iracundiam. Quandoquidem definitio quid unaquæque res ſit, manifeſtat. QVID igitur & REI PARS idipſum eſt, quod diſtinguit. Scientiæ enim, mētiſq; capax eē definitiōis pars eſt, qua differentia hoīem à reliquis aīalibus diſcernit.

Non enim idoneum eſſe ad nauigandum, hominis differentia eſt. Cum eius ſit proprium. animalium enim alia ad nauigandum apta. Alia verò minime, hominē ab aliis ſeparantes diceremus. Verum idoneum eſſe ad nauigandum nequaquam hominis naturam perficeret. Nec eius pars eſt. ſed ſolum quædam eius habilitas, cum minime numeretur inter eas differentias, quæ ſpecies conſtituunt. ſint igitur differentiæ ſpecierum efficientes quæcunq; alteram ſpeciem efficiunt. & quæ in oratione quid res ſit, explicante, comprehenduntur. & totidem de differentia dixiſſe ſufficiat.

Nauigare inquit non natare, aut ſuper aquis ferri, ſic enim bruta inanimataq; ad nauigandū apta eſſent, ſed nauigare intelligit nauem gubernare, hoc enim hominis proprium eſt, tamen hic ipſe non efficitur, deſignaturúe ob nauem gubernandi aptitudinem. Aliter non nauigantes, homines non eſſent.

DE PROPRIO.

PRoprium quadripartitum faciunt. alterum quod cuidam ſpeciei ſoli, & non omni accidit. vt homini medicari. vel geometriam docere. Alterum quod omni ſpeciei, ſed non ſoli contingit. Vt homini bipedem eſſe. Alterum quoquæ quod ſoli, omni, & interdum, vt cuius homini in ſenectute canos emittere, quartum uero id eſt. In quo concurrunt hæc omnia ſoli, omni, & ſemp, uelut homini ridenti aptitudo, quamquam enim haud ſemper rideat, attamen ut rideat, aptum eſſe dicitur. Idq; non quodq; ſemper rideat. ſed quod riſui ſemper aptus ſit.

PErfecto de differentia ſermone, reſtat, ut de proprio diſſeratur, quod etiam predictum ordinem conſequitur. Cum de iis, quæ ſubſtantiæ ſunt, diſputauerit, neceſſario de illis, quæ ſubſtantiæ aduenIunt, uerba facit. Veruntamen à proprio incipit, tāquam quoddam intermedium ſit, ſubſtantiæ enim particeps eſt, qua ſoli, omni, ſemperq; proprie proprium contingit. Quoniā ea omnibus,

ta omnibus, & ſemper contingunt, quibus eueniunt. comparationem porro cum accidentibus habet, quatenus æque ac illa, à ſubiecto cogitatione ſeparatur. Eandem etiam doctrinæ formam cum ſuperioribus ſecutus eſt, prius enim quàm dicat, de quo philoſophi loquantur, eius numerat ſignificationes, Quodammodo igitur proprium ſeparat, in quatuor, ſic enim ait, Proprium uel ſoli cuipiam ineſt ſpeciei, uel non ſoli, ſi ſoli uel omni, uel non omni. rurſus ſi non ſoli, uel omni, uel non omni ſpeciei, uel ſemper, uel non ſemper contingit. hæc itaq; diuiſio eſt. Vna quidem, primaq; proprii ſignificatio eſt, quòd uni cuipiam cõtingit, & non omni, ut homini medicũ eſſe, uel philoſophum, uel aſtronomum uel geometrã. aut horum quidpiam. Secunda ſignificatio eſt, quòd omni, non ſoli contingit, ut homini bipedem eſſe, omni quippe homini competit, non autem ſoli, cum etiam uolucribus conueniat. Tertia quòd omni, ſoliq;, ſed non ſemper, uerum aliquando, ut homini in ſenectute caneſcere. ſoli enim, omniq; contingit. at homo in ſenectute tantum, non ſemper, canos emittit. Quarta autem eſt ea, in quam hæc omnia conuenerunt, ſoli, & omni, & ſemp. ut homini ridẽdi aptitudo. equo hinniendi. caniq; latrandi, horum unumquodq; actu non eſt, ſed potentia, non enim quã riſui aptum, uel hinnitui, ridens eſt, uel hinniens, ſed quatenus ad ridendum, hinniendumq; ſuapte natura comparatum eſt. Hoc enim proprie proprium eſt, quod ſoli, & omni & ſemper cõtingit. Quare Porphyrius reliquas prætermittens ſignificationes, & ſimpliciter communius propriũ accipiens, in quatuor diuiſit. cum itaq; tres ſint oppoſitiones, ex quibus proprii ſignificationes accipiuntur iis mutuo complicitis plures ipſorum collationes fiunt, è quibus nonnulle conſiſtunt, nonnulle minime, ut per picturam oſtenſum eſt.

Hoc inquam illud eſt, quod eius naturæ eſt innatum, quemadmodum etiam equo ad hinnitum habilitas. hæc nimirum propria inter alia principem locum obtinere dicunt. quæ etiam conuertuntur. nam ſi aliquid equus eſt, idem hinnitui aptum eſt. hocq; reciprocatur. ſi quid hinnitui aptũ eſt, equus eſt.

Innatum dicens, potentiam, & aptitudinem inſitam ſignificauit, non actum. & ſi enim ſemper non rideamus, apti tamen ſemper ad ridendum ſumus. potentia enim ſemp ridere poſſidemus. & apti ſumus ad ridendum, non autem ſemper ridemus. aliud quippe eſt, ridere, & aliud ad ridendum aptum eſſe, aliudq; eſt hinnire, & hinniendi aptitudinem poſſidere.

DE ACCIDENTI.

ACcidens eſt, quod aduenit, receditq; à ſubiecto abſq; eiuſdem interitu. quodq; in duo diuidit. nam eius alterũ eſt ſeparabile, aliud uero inſeparabile, dormire igit ſeparabile eſt. accidens.

POſt eas res, quæ ad doctrinam pertinebant, ultimum locum accidens ſortitum fuerat. reliquum itaq; eſt, ut de ipſo uerba faciamus. Hic ſciendum eſt, ſolita Porphyrium docendi regula nequaquam uti, cum in reliquis uocibus earum prius ſignificationes numeraſſet, de qua deinde philoſophi diſſererent, indicabat. id non ſeruauit. Sed ſtatim accidentis aſſignauit deſcriptionem Intelligebat enim nullam accidentis ſignificationem eſſe, de qua non agerent philoſophi. Quod autem accidens adueniat, recedatq; preter ſubiecti interitum hinc manifeſtum eſt. ¶ Accidentia nequaquã ſunt corpora, nam ſi corpora eſſent, corporibus adiuncta augerent, ablata uerò minuerent. ſed neq; addita augent, neq; amota, minuunt. corpora igitur nõ ſunt. ¶ Item ſi corpora eſſent, unus locus multorum corporum capax eſſet, quod fieri nequit. In pomo enim dulcedo eſt, colorq;, & odoris ſuauitas, quòd ſi hæc corpora eſſent, nunquam unum haberent locum. fieri quidem non poſſet. nam corpus aliud corpus penetrare nequit. Separabilia inſuper ſubiecti accidentia ſubiectum non corrumpunt, cum adueniunt, & recedunt. ut ex hoc patet. Sedere enim, uel ſtare, frigidum reddi & calidum, abſunt, adſuntq;, ſubiectũ tamen non corrumpunt. Inſeparabilia igitur abſunt ſubiectum non corrumpentia.

Quid autem naſi aduncitas, & in coruo nigror? Hæc ſeparari cogitatione, actu tamen nõ poſſunt, nam ſi directum, retortumue naſum intelliges, naſus nihilo ſecius remanet, Solet neſcio qs de accidentis definitione dubitare. inquit enim, ut iam dictum eſt, definitionem aſſignatam aduenire inquam & recedere omnibus accidentibus non conuenire, ſed ſeparabilibus tantũ. Nigrũ

enim in æthiope,& coruo abſq; ſubiecti interitu adeſſe non poſſunt, & abeſſe. Atqui reſpondemus,quod etſi actu abeſſe non poſſit,cogitatione tamen æthiops & coruus erunt albi. Verũ animal ab homine ne cogitatione quidem ſeparari poterit. quoniam niſi una hominẽ, animalq; cognouerimus,hominem ipſum corrumpemus,Coruum uero,æthiopemq; nigros non eſſe cogitantes ne quicquam ab eorum ſubſtantia,ueluti corui uel æthiopis detrahemus, Auferat quiſpiam euellatq; à coruo plumas,nihilominus coruus eſt,æthiopem etiam ſi cogitaueris albũ eſſe, homo etiam non minus erit. Inſeparabilia igitur,etſi actu non abſint, cogitatione tamen abeſſe poſſunt ¶ Circa eandem dubitant definitionem, Quomodo nam adeſſe,& abeſſe.præter ſubiecti interitum dicatur.cum febris,animal,cui accidit,corrumpat. Reſpondemus non de febri tantummodo dubitandum eſſe. Sed etiam de immoderato frigore. ſiccitateq;, & humiditate. hæc enim omnia aduenientia animal corrumpunt. Dicimus igitur, quod quemadmodum in chordis intenſis,& eneruatis harmoniam fieri contingit,neq; ſubiectum corrumpitur,eodem modo & in iis,nam ſi calor,frigusue immoderatum,aut aliud ſuperuacaneum aduenerit,corporis conuenientiam,concinnitatemq; in animali corrumpet. ſubiectum tamen,uidelicet corpus,ſeruabitur. Quod uero calefiat,frigidumq; reddatur,non ſimpliciter animal eſt, ſed corpus. ex contrariis enim calido,frigidoq; ſicco, & humido corpus componitur nam ſi horum unum eſſet homo,inquit Hippocrates,non admodum doleret,eſſet enim idem ſui ipſius remedium. Nunc uero cum unum alteri dominetur,& inter ſe eodem amicitiæ circulo teneatur,non modo ex prędictis tantum contrariis qualitatibus animalis corpus componetur,ſed ex ſubiecto quodam triplici modo dimenſo ſecundum propriam rationem corporis qualitate carentis. in quo omnis qualitas exiſtat,ſed nulla qualitas proprio repugnat ſubiecto,neq; id in quo conſiſtat,corrupit. nam ſi ſubiectum corrumperet,ſeipſam unà perimeret. Interempto enim eo,in quo habet,ut ſit, ſeipſam quoq; interimi neceſſe eſt,cum per ſeſe conſiſtere nõ poſſit. ſed nihil ſeipſum interimere ſtudet. Qualitas enim qualitati non autem ſubiecto corpori repugnat. quo fit,ut fieri non poſſit ut febris,aliaue omnino qualitas proprium ſubiectum corrumpat. eſſe enim unumquodq; deſiderat. Cum igitur ex contrariis iis,ex quibus corpus componitur,abundans aliqua ſuperexceſſerit totius corporis harmoniam perire cogit. accipere enim ſtudens ſubiectum, tanquam in eo ſeruanda ſit incolumis,repugnantem ſibi contrariamq; perdit,qua excluſa ipſius occupat locũ. Veluti qui de communi agro mutuo certant,feſtinat enim unuſquiſq; aduerſarium reiicere,ipſeq; in agri poſſeſſionem poni. ſic de calido,frigidoq; inter ſe de eodem ſubiecto pugnantibus dicere poſſumus. In quo enim horum neutrum ſuperarit,in moderatione erit horum ſubiectum. altero uero ſuperante,contrarium à dominante corruptum propulſabitur,ſubiectum autem nihil patietur,neq; à ſuperante qualitate perdetur à febre igitur harmonia uel temperamentum qualitatum in corpore exiſtentium corrumpetur. Ipſumq; corpus uelut ipſis qualitatibus ſubiectũ eſſet,non perimetur. ¶ Poſſet quiſpiam nobis ex dictis obiicere,corpus ſimpliciter febri ſubiectũ non eſſe,ſed animalis corpus ex illis quodammodo qualitatibus compactum. quod uel febre, frigoreue immoderato,aut alio id genus accedente corrumpetur. Non enim quiuis immoderatus calor febris eſt,ueluti i ferro calefacto.& igni. ſed calor qui in animalis corpore inhæret,quo perdito,febris quoq; uelut in ipſo conſiſtat,interimetur. Dubitationem hanc à principio ſic reſoluamus. Motus mutationesq; in quatuor prædicamentis fiunt. uel ſubſtantia, uel quantitate, uel qualitate,uel in prædicamento ubi mutatio ſecundum ſubſtantiam ortum facit & interitũ: ortus eſt,ex eo quod non eſt,ad id quod ſit,mutatio. Interitus uero ex eo quod eſt.ad id, quod non eſt. Secũdum quantitatem,accretio,& diminutio,ſecundum qualitatem,alienatio, candor, & tepor,& quæcunq; mutationes per alias qualitates fiunt. Eſt præterea loci mutatio,quam interitum uocant. Si igitur ortus à ſubſtantia procedens id quod non eſt efficit,ut ſit, interitus uero contra,id,quod eſt,facit non eſſe,& ipſa mutatio fit ſecundum ſubſtantiam, ſi febris ſubiectũ corrumpat,non erit accidens,ſed ſubſtãtiæ mutatio,quam interitum appellant. quoniam ortus & interitus altercationes non ſunt,ſine ea tamen fieri nequeunt. Cum igitur ex temperata fient alienatione calor,& frigus,ut animalis concinnitatem non corrumpant, huiuſmodi qualitas accidens erit. quæ ſubiecto non corrupto poterit recedere. Cum uero ex uehementiori, ut compoſitionis,ſubiectiue temperationem interimant, Illud, quod ſupereſt, alienatio nequaquam eſt. neq; ſecundum accidens,ſed ipſius ſubſtantiæ commutatio. Omnis igitur febris non corrumpit,ſed intemperans,quæ accidens non eſt,uerum in id,quod non eſt, mutatio. ¶ Ambigunt de caluitio,dicunt enim idipſum,ſubiectum,crines uidelicet interimere. hic ſciendum eſt, huic ca-

pillos

pillos non ſubiici,ſed caput.cui interitus à caluitio nequaquam affertur.

Et nigrum eſſe æthiopi, coruoq; inſeparabile eſt.poteſt tamen coruus albus intelligi, æthiopſq; colorem abiicere abſq; ſui interitu.

Non præter rationem ÆTHIOPI, CORVOQVE dixit, quoniam multa nigra ſunt: quæ dealbantur.dixit autem INSEPARABILE quod tamen cogitatione ſeparari poteſt.Verũ maxime propriæ differentiæ ne cogitatione quidem amouentur, cum hominem remoto rationali intelligere non poſſimus.homo profecto non eſſet neq; angelus ſi remoueretur immortale,deſineret enim angelus eſſe.

Hoc præterea modo definiunt,accidens eſt,quod eidem ineſſe,vel non ineſſe poteſt.

Deſcriptionem accidentis priori diligentiorem tradit,multo enim melius EIDEM INESSE VEL NON INESSE, Quam ADVENIRE, RECEDEREQVE inſeparabilibus congruit.

Rurſus,quod nec genus eſt,nec ſpecies nec differentia.nec proprium.ſed ſemper in ſubiecto ſubſiſtit.Cum igitur quæ propoſuimus,hactenus explicauerimus,videlicet genus,ſpeciem,differentiam,proprium,& accidens,dehinc eorundem quæ cõmunia,quæq; propria ſint perſequemur.


Huiuſmodi accidentis deſcriptio unicuiq; quatuor reliquarum uocum per aliarum amotionem poterat non minus aſſignari.Etenim accidẽs eſt,quod neq; genus,nec ſpecies,Neq; propriũ eſt,ſed ſemper in ſubiecto ſubſiſtit.Diceret porrò eodem modo de aliis quiſpiam. ueluti de genere,dicens genus id eſſe,quod neq; differentia,nec ſpecies,nec proprium,nec accidẽs eſt: ſemper enim ſubſtat,& ut ſummatim,de omnibus dicam.Quas quidem hoc non definiuit modo,quoniam uoces quæ deinceps ſequebantur nondum erant cognitæ.nunc uero omnibus edoctis,merito ſic accidens definiuit.Item cum quatuor aliarum deſtructio non ſolum accidens inferat,ſed etiam hircoceruum,aliaq; plura, addidit, QVOD SEMPER IN SVBIECTO SVBSISTIT. Quæ uerba accidens ab hircoceruo,qui non ſubſiſtit,ſed ſola uix cogitatione comprehenditur, ſeparauit.Quoniam autem quid ſit,non dixit,à negatione fecit deſcriptionẽ inquiens, quod nõ eſt genus,nec reliqua.& cum quid eſt,explicat,inquit, QVOD in ſubiecto ſubſiſtit.

DE QVINQVE VOCVM COMMVNITATIBVS ET DIFFERENTIIS.

INter omnia communia hoc primum eſt.de pluribus,vt diximus.prædicari.Verum genus cum de ſpeciebus.Quæ ſub ipſo ſunt, tum etiam de indiuiduis eodem etiam modo & differentiã.At ſpecies de indiuiduis,quæ ſub ipſa ſunt.Proprium vero de ſpecie cuius eſt proprium, & de illius ſpeciei indiuiduis.Accidens uero de ſpeciebus & indiuiduis idq; exemplo oſtendamus.Nam animal de equo,boueq;,qui ſpecies ſunt predicatur,atq; de hoc equo,deq; hoc boue, & equo, atq; de ſingularibus dicitur.Atqui ſpecies uelut homo de ſolis ſingularibus prædicatur.Proprium præterea de ſpecie,cuius eſt proprium.Atq; de indiuiduis, quæ ſub eadem ſunt dicitur. Velut riſui aptum de homine,& ſingulis hominibus.Nigrum de coruorum ſpecie,& ſingulis, cum accidẽs ſit inſeparabile,prædicatur.moueri quoq; de homine,et equo,cum accidens ſeparabile ſit,uerũ de indiuiduis primo,et de continentibus indiuidua ſecundo prædicatur.

IN omnibus rebus tria conſiderantur,ſubſtantia,conuenientia,& diſcrimen. Subſtantiam nõ eam,quæ accidentibus opponitur,ſed uniuſcuiuſq; rei naturã appello.Quocirca ea,quæ ſunt dicuntur.Habent præterea conuenientiam nam cum unum omnium ſit principiũ,cuncta communitatem quandam mutuo inter ſe ſe habere neceſſe eſt.Præterea,q̃a multa ſunt,ea quæ ſunt, diſcrimen eadem quoddam habere coguntur, ut multa ſint.ubi enim multitudo, ibi & diſcrimen.Ex propoſitis igitur quinq; uocibus ſubſtantiam cõuenientiã,& diſcrimen quærere oportet.Verum de ſubſtantia iam dictum eſt.Dixit enim ipſorum eſſe naturam.De conuenientia diſcrimineq; nunc in quibus differant,& conueniant,diſſerit.Poterunt namq; meliori præditi ingenio hæc ex prædictis edoceri.Sed quoniam liber ad aliquem ueterum refertur,ut ex plurimis

Theorematis ibidem traditis patet, ipſe ex dictis eligens huiuſmodi dicit. Prius autem dicit communia omnibus accommodari, ut unaquæq; uox ad reliquas quatuor comparetur, & in quibus communicent, in quibuſq; diſcordent, oſtendit. Sciendum autem eſt, quòd ſi ex differentiis quoquo modo poſitis diſcere uoluerimus, quot complexionum inter ſe diſcrimina efficiantur, hac uia explicandi uti operepretium eſſe. Oportet enim numerum uno minorē accipere, & multiplicare ad appoſitum uſq;, quod à principio ſumptum erat. dehinc quod fit, bifariam diuidi, & totidem tunc complexiones oriri affirmare, ut hoc exemplo patet. Quinq; uoces ſunt, quæ nūc mutuo comparanť. accipe numerū uno minorē, quatuor uidelicet, & quater quinq; hoc eſt, uiginti fient. horum rurſus dimidia pars eſt, decem. Totidem inter ſe è quinq; uocibus iugationes fieri dices, accipiamus autem uno minorem, quoniam idem ad idē nihil, ſed aliud ad aliud comparatur. mutuò itaq; multiplicatum reddamus, quandoquidem mutuam quærimus comparationem, deinde differentiam, confecti numeri dimidium capimus. quoniam ex multiplicato bis eadem mutuo comparari contingeret. Vnaquæq; earum quinq; ad quatuor reliquas multiplicatur. exempli cauſa genus ad cæteras quatuor, ſpeciesq; ad genus, & alias deinceps tres, & bis cuiuſq; uocis eueniet comparatio, differentiaue. hoc itaq; numero confecto dimidium ſumimus. VERVM DE INDIVIDVIS PRIMO, ET DE CONTINENTIBVS INDIVIDVA SECVNDO PRÆDICATVR. Vehementer neceſſarium in iis quæſitum Porphyrius tradit. Inquit enim, genera, & differētię de ſpeciebus, indiuiduisq; prædicatur. Dicitur enim animal & homo, & Socrates. ſed primo de ſpeciebus, ſecundo uero horum cauſa de indiuiduis, prædicantur, quoniam ſi homo eſt animal, & Socrates animal eſt, & quoniam homo rationalis eſt, Socrates quoq; rationalis. Propria & accidentia de ſpeciebus, & indiuiduis dicuntur. Dicitur quidem riſui aptus homo. & Socrates. albus homo, & Socrates, ſed primo de indiuiduis. at ſecundo de ſpeciebus Non enim propterea quòd uniuerſalem hominem ad ridendum aptum dicamus, uel album, omnes ſingillatim riſui aptos albosúe dicemus. Vniuerſalis enim homo incorporeus eſt. neq; ridendi aptitudinis eſt particeps uerum ex eo, quod ſinguli homines riſui apti ſint; uel albi. Vniuerſale uero de his, quæ in multis ſunt, aut poſt multa, dicit.



DE GENERIS ET DIFFERENTIÆ COMMVNITATE.

Genus & differentia inter ſe ſe conueniunt, quod vtrunq; ſpecies continet, & ſi non totidem, quot genus. Rationale enim quamquam rationis expertia, velut animal non complectatur, tamen angelum, & hominem, qui nimirum ſpecies ſunt, comprehendit.

Poſtquam ſimul quinq; uoces comparauit, differueritq; quo cōueniant, quoúe differant, unāquamq; ipſarum præſumere uult, reliquisq; quatuor comparare. & qua nam ratione una uox cum multis, quatuor uidelicet, conueniat uel in quibus differat, indicare. VTRVNQVE SPECIES CONTINET. Nunc unamquamq; aſſumit, & reliquarum proprietates unicuiq; ſingillatim aſſimilat. Primum quidem genus cum differentia confert. & in quibus cōmunicent, differantq;, declarat.

Quæcunq; de genere, vt genus eſt, dicuntur, eadem etiam de ſpeciebus ſub illo poſitis prædicantur, quæcunq; item de differentia, vt differentia, & de ſpecie ex illa differentia conſtituta prædicabuntur. Nam de animali, quod eſt genus, ſubſtantia, & animatum, ſenſuſq; capax. Tanquam de genere prædicātur, quæ etiam de ſpeciebus ſub illo vſq; ad indiuidua prædicantur de rationali item cum ſit differentia, Vt differentia, prædicatur ratione vtens, idq; non ſolum de rationali, ſed etiam de ſpeciebus, quæ ſua ipſo rationali ſunt, prædicabitur.

Quæ de animali prædicantur, ea ipſa de animalis ſpeciebus indiuiduisq; prædicantur. Eodem quoq; modo de differentia. Nunquid igitur cum de animali genus prædicatur, animal enim genus dicimus, eam ob cauſam de ſpecie, indiuiduisq; prædicabitur? ſiquidem ita ſe haberet, & hominem, & Socratem genus diceremusquod minime eſt. cumq; genus diſſyllabum ſit, ita & homo, dicendum igitur, quod ea de cauſa communiter Porphyrius VT GENVS EST, adiecit, hoc eſt, ut res. non autem ut habitudinem habens. genus enim diſſylabūq;, & huius ge-

neris

neris reliqua animalis habitudinem declarant. Quæcunq; igitur de animali. quatenus animal eſt(hoc enim ipſum, ut genus, dici patet) eadem ſemper de ſpeciebus, indiuiduisq; prædicantur. genus autem de animali, non ut animali, ſed ipſius comparatione prædicatur. Animal non modo hominis, equiq;, atq; reliquorum genus appellatur, uerum & color genus albi eſt, & nigri, cæterorumq;. In aliis prędicamentis eodem inuenies modo. Quo fit, ut animalis genus, non ut animalis, ſed uelut habitudinem quandam eorum, quæ ſub ipſo ſunt accipientis prædicatur. quod in cauſa eſt, ut de ſpeciebus, & indiuiduis non prædicetur. Eadem de differentia habenda ratio eſt. Quæcunq; de differentia. tanquã differentia, & non habitudinem indicantia prædicantur, totidem etiam de ſpeciebus omnibus, quæ ſub illa collocantur, & indiuiduis prædicantur.

Commune præterea & illud eſt. Quoniam ſublato genere, vel differentia ſimul & ea, quæ ſub ipſis ſunt, tolluntur, quemadmodum enim ſi animal tolleretur, nec equus, nec homo ſupereſſet ita ſi demeretur rationale, nec animal ratione vtens inuenietur.

Eorum, quæ natura ſunt priora, geminæ ſunt regulæ, auferre ſcilicet, & non auferri. inferreq; & non inferri. quas nunc generi, differentiæq; communes aſcribit.

DE GENERIS ET DIFFERENTIÆ PROPRIETATIBVS.

PRoprium generis eſt, de pluribus prædicari, aliter ac differentia, ſpecies, accidẽs, & propriũ nã animal de homine, equo, aui ſerpẽte. ſed quadrupes de ſolis quatuor pedes habentibus, hõ vero de ſolis indiuiduis. Hinnitui aptũ de ſolo equo, & ſingulis, accidẽs ſimiliter de paucioribus.

QVum expoſuerit quam inter ſe ſimilitudinem genus habeat, & differẽtia, in quibus differãt, nũc dicere propoſitũ eſt. Hinc duplici ratione ſumere differẽtias oportet (Nã duobus modis conſiderari differẽtias diximus) uel ut cõſtituũt, perficiũtq; ſpecies, uel ut diuidũt genus.

Sed Sumendæ ſunt differentiæ, quibus genus diuiditur, ſed non eæ, quæ generis natura perficiunt, ſed diuidentes.

Neceſſum, inquit, eſt, differentias accipere, non eas, quæ conſtituunt, quandoquidem illæ generum, ueluti genera amplius differentiæ non ſunt, ſed quatenus ſpecies ſunt. Oportet, inquam, eas, quæ diuidunt, accipere, quæ quidem generis ſunt. His animal communius eſt, cum minus commune ſit, ac differentiæ, quæ perficiunt, atqui ſumitur accidens in multo pluribus, quam genus, nigrum enim (Exempli gratia) non animantibus tantum, uerum etiam inanimatis conuenit Quanam igitur ratione minus commune in paucioribus erit, quam genus? Reſpondemus quod ſi quid ſub idem ſit genus, uelut accidens in animalibus, idipſum animali minus eſſe. nam nigrum omnibus animalibus nequaquam euenit. Quodcunq; in planta eſt, ipſa minus eſt.

Item genus potentia differentiam continet. nam animalis aliud rationis compos, aliud ratione carens, at differentiæ minime genera comprehendunt. Genera adhuc differentiis ſub ipſis priora ſunt. quocirca vbi ſublata fuerint, eas ſecum adiment. ſed illæ ſublatæ, haud ipſa tolluntur, ſublato enim animali, vna rationis compos, & expers labefactantur. contra uero differentiæ ſublatæ genus non interimunt. Nam & ſi omnes demerentur ſubſtantia tamen animata, ſenſus capax, quę animal eſt, intelligeretur. præterea genus in quid eſt dicitur. ſed differentia in quale quid eſt, ut diximus prædicatur.

Differentias potẽtia in generibus priores eſſe, quam ſpecies, quæ ſub ipſis ſunt iam diximus, Peripateticos imitati.

Genus item unum eſt, quod de unaquaq; ſpecie prędicatur. Velut animal de homine. differentiæ uero plures ſunt. Ceu rationale, mortale, mentis, et [illegible]entię capax. Quibus homo à cæteris animantibus differt.

Altera generis differentiæq; uarietas, Illud enim in unaquaq; ſpecie unũ eſt, illæ uero plures.

Rurſus genus materię per ſimile eſt, differentia uero formę.

Genus, quod in multis eſt, præſertim naturale, materiæ ſimile diximus eſſe, differẽtiã formæ.

Sed cum multa alia communia, peculiariaq; generi & differentiæ adſint, totidem dicta ſint.

Alia ſibi ipſis & communia, & propria eſſe dicit. Veruntamen hæc ſufficiant. Iis communis eſt ſubſtantiæ impartitio, Nam ut genus conficit ſubſtantiam, ita & differẽtia. Commune etiam eſt uniuoce predicari. Veluti genus de inferioribus ſe uniuoce, eodem modo differentia prædicat. Proprium (ut dictum eſt) iis ineſt, ut genus, ſicut animal, cum alio genere ad aliud perficiendum non complicetur. Differentiæ autem connectuntur, & aliquid efficiunt. Rationale enim cũ mortali, ſcientiæq; ac mentis capacitate adiunctum hominem perficit.

DE GENERIS ET SPECIEI COMMVNITATE.

COmmunicant inter ſe genus & ſpecies, quoniam ambo (vt diximus) de pluribus prædicantur.

CVm genus differentiæ comparauerit, & dixerit in quibus communicẽt, differãtq;, idipſum nunc genus cum ſpecie comparans, quid ſibi cum illa commune ſit, manifeſtat.

Verum ſumpta ſit ea ſpecies, quæ vt ſpecies ſola eſt, & minime vt genus. aliter item eſſet genus, & ſpecies.

Permagna adductus ratione, QVÆ VT SPECIES SOLA EST, adiunxit. ne infimã, quæ de pluribus non prædicatur, aut ſubalternam, quæ tum ſpecies, tum genus eſt, acciperemus. Genus præterea inueniemus, quod etſi ſubalternum ſit, ut ſpecies tamen, non ut genus ſumatur ut ſpeciei, generiſq;, & non utrorumq; generum facias comparationem.

Item commune ipſis eſt vt priora ſint iis, de quibus prædicantur, & vtrunq; aliquod vniuerſum ſit.

Eam præſertim ob cauſam communitatem illam de PLVRIBVS PRÆDICARI præpoſuit, ut hæc illis, de quibus prædicantur, diceret eſſe priora.

DE GENERIS ET SPECIEI DIFFERENTIA.

DIſſident vero inter ſe genus & ſpecies, quod alterum ſpecies continet. hæ vero continentur, & genera nequaquam continent, cum enim genus communius ſit, de ſpecie prædicatur. genera rurſus prius ſubiiciantur oportet. Quæ etiam differentiis ſpecierum conſtituentibus informata ſpecies nimirum perficiunt.

QVo differant indicare uult. prima quidem differentia perſpicua ſit, quæ huiuſmodi eſt, quod genera prius ſubiiciantur oportet. animal etenim, ut dictum eſt, tanquam materia prius ſubſternitur. rationaleq; ac mortale accipiens hominem facit, atqui animal genus, homo uero ſpecies eſt.

Vnde genera natura ſunt priora. & vbi ſublata fuerint, ſecum etiam ſpecies dement, idq; minime reciprocatur. nam cum fuerit genus, omnino & ſpecies ſit oportet, ſed ſi genus non fuerit, radicitus ſpecies euellatur neceſſe eſt. genera præterea de ſpeciebus, quæ ſub ipſis ponuntur, vniuoce prædicantur, ſed ſpecies de generibus minime. cæterum genera id plus ſpeciebus habent, q̃ ſuas ſpecies continent. ſpecies vero hoc genera excedunt, quod propriis differentiis potiuntur. demum ſpecies, nequaquam generaliſſimum genus, nec genus maxima ſpecies fieri poterit.

Duas regulas aſſignauimus per quas, quæ natura priora ſint, diſcernantur. Prima hæc eſt, id quo ſublato aliud interimitur, ſed nõ uiciſſim, prius eſt, uelut ſublato animali ſimul tollitur homo. at ſi homo auferatur. ſimul nequaquam animal deſtruetur. Genus itaq; ſpecie natura prius eſt Secunda regula ſic ſe habet, Quod infertur inferente ſuapte natura prius eſt, ut homo cũ ſit, ſemper animal infertur. uerum animali exiſtente hominem inferre neceſſum non eſt. Secundũ igitur utraſq; regulas genus ſpecie naturæ ordine prius eſt. genus ſi ſit, ſpeciem non infert. Verũ

ſi ſpecies ponatur, genus ſimul infert. SPECIES ENIM HOC GENERA EXCEDVNT. nã ſpecies actu differentias continent, quæ ſui perficiendi uim habent.

DE GENERIS ET PROPRII COMMVNIONIBVS.

GEneri proprioq; commune eſt, ſpecies etqui ſi quid enim homo, illico animal. & ſi quid homo, continuo riſui aptum eſt, genus item pariter de ſpeciebus prædicatur, ac proprium de indiuiduis, quæ hoc ipſo participant. æque enim homo, & bos animal ſunt. & anytus, & melitus ad ridendum idonei.

COmparato ſpeciei genere, idipſum nunc aſſimilat proprio. SEQVI dicitur, uel cũ maius id, quod minus eſt, ex neceſſitate ſequitur, ut hominem animal. nam ſi homo eſt, & animal eſt. uel æquale id, qđ æquale eſt, ut hominẽ ridẽdi aptitudo, nã ſi homo eſt, ridendi aptitudo eſt.

Commune item ipſis eiſdem eſt, vt genus de propriis ſpeciebus, vniuoce prædicetur, & proprium de iis, quarum proprium fuerit.

Ecce ob hanc cognationem proprium in iis, quæ ſubſtantia participant, & iis, quæ ſubſtantiæ adueniunt, mediũ habere locum diximus, his tamen quæ à ſubſtantia ſunt proximius eſſe.

DE GENERIS ET PROPRII DISCRIMINE.

INter genus & proprium hoc intereſt, quod genus prius eſt, proprium vero poſterius. prius enim animal ſit. deinde differentiis & propriis diuidatur oportet. Genus item de multis ſpeciebus prædicatur, at proprium de vna quadam ſola, cuius proprium eſt. proprium præterea reciprocata prædicatione de eo, cuius eſt proprium prædicatur. ſed genus de nullo hoc modo prædicatur. neq; enim ſi quicquam animal eſt, homo erit neq; ſi quicquam animal. Illico riſui aptum ſit neceſſe eſt. At qui, ſi quicquam homo eſt. mox ad ridendum natum eſt, idq; viciſſim. proprium adhuc omni ſpeciei conuenit ſoli, & ſemper, cuius eſt proprium, At genus omni ſpeciei, & ſemper, cuius fuerit genus ſed ſoli nequaquam. propria rurſus ſublata, genera ſimul non euertunt, at generibus deſtructis ſpecies vna tolluntur, quarum ſunt propria. quare ſi ruent ea, quorũ propria ſunt & ea ipſa propria ſimul corruent.

IN quibus mutuo conueniant, cũ referauerit, nunc in quibus differãt, declarat, prius dicitur, non tempore, ſed natura, inſuper ſi propria perimantur, genera nequaquam peribunt. atſi genera deleantur, ſpecies ſimul auferentur, quibus ablatis propria non ſunt. ſublatis itaq; generibus per ſpecierum medium propria tolluntur. Interempto homine, ridendi aptitudo una perdetur. hoc etiam iure factum eſt. Si enim ſpeciebus ablatis propria quoq; auferentur, generibusq; interemptis interimantur & ſpecies, generibus igitur ademptis, propria etiam adimentur.

DE GENERIS ET ACCIDENTIS SOCIETATE.

COnueniunt genus & accidens, vt diximus, in hoc maxime, quod vtrunq; de pluribus prædicatur, ſiue ſeparabile, ſeu inſeparabile accidens fuerit. etenim moueri de pluribus, & nigrum de coruis, æthiopibusq;, & quibuſdam inanimatis dicitur.

DIffert ab accidenti genus. Eorum quæ plurimum inter ſe differunt, ueluti genus, & accidẽs communitatem, quoniam parua eſt, dicere arduum eſt, differentiam uero facile. Nam quæ plurimum diſtant, in multis ipſorum ſunt diſſimilia, ueluti in his quæ maxime proxima ſunt, differentiam aſſignare laborioſum, cognationem autem, in promptu eſt. Vt ſi quis lupi, canis, & equi, palumbiq;, & columbæ conſenſum dicere uoluerit, id explicate faciet, uerum difficiliter, ſi in quid differant, dicere tentarit. Rurſus quidnam homo à formica differat, expedite, nulloq; negotio dicet. in quibus uero eadem ſint, ægre & difficulter. Et (ut ſummatim dicam) Quæcunq; multum inter ſe abſunt, parum admodum communitatis, ſed differentiæ plurimum habent. & quæ nõ multũ diſtant, proximaq; ſibi ipſis ſunt, paruũ diſcrimen, magnãq; poſſident cõuenietiã.

DE GENERIS, ACCIDENTISQVE DIFFERENTIA.

GEnus ab accidente diſcerpit, quod genus prius ſpeciebus eſt. ſed accidentia eiſdem ſunt poſteriora. nam & ſi accidens inſeparabile ſumeretur, tamen id, cui accidit accidens, eſt eodem prius. Item quæ genere participant æquam partem capiunt, ſed quæ accidente, minime.

QVũ igitur genus & accidens plurimum mutuo diſtent, parua ipſorum ſimilitudo eſt, diſcrimen per magnum, qua de re unam tantum ipſorum conueniẽtiam Porphyrius, uarietates uero per multas expoſuit.

Nam accidentium participatio intenſionem remiſſionemq; ſuſcipit, ſed ea generum id nequaquam fert. rurſus accidentia in ipſis indiuiduis principem locum obtinẽt. at genera, & ſpecies natura ipſis ſubſtantiis indiuiduis ſunt priora genera rurſus in quid de his, quæ ſub ipſis ſunt, prædicantur. At accidentia in quale quid, vel quomodo ſe habet. qualis. n. æthiops ſit interrogati, nigrum eſſe reſpondebimus. Vel ſi quis hos quomodo ſe habeat Socrates percunctatus fuerit, huic Socratem vel ægrotale, vel bene valere reſpondebimus.

Homo enim, equusq;, necnon aliæ ſpecies eodẽ animalis participes ſunt modo, animalia enim pariter ſunt. Corpora uero diſſimili ratione albo, uel nigro participãt. magis enim dicitur albus quid eſſe uel minus.

Genus igitur qua ratione ab aliis quatuor differat diximus. cæterum à reliquis quatuor vnuquodque aliorum differre poteſt. quare cum quinq; ſint, & vnumquodq; à quatuor differat, ſi quater quinq; multiplicetur, differentiæ omnes viginti emanabunt. Verum id aliter ſe habet. quod ſemper ex iis, quæ deinceps enumeratur duo quidem vna differunt differentia. propterea quod ſumpta eſt, tria vero duabus, & quatuor tribus, & quinq;, quatuor quo fit vt omnes horum differentiæ decem ſint, quatuor, tres, duæ vna. Nam genus, quatenus à differentia, ſpecie, proprio, & accidẽte differat, dictum eſt. quatuor igitur differentiæ ſunt. Item quo pacto differentia à genere diſtet, explicauimus. & quomodo ab eadem genus diſcrepat expreſſimus. Reliquum vero eſt dicendum quonam pacto à ſpecie; proprio, & accidenti differat. & fiunt tres, rurſusq; quomodo ſpecies à differentia differat, aperuimus, quandoquidem quo pacto differentia à ſpecie differat dictum ſit. Item quomodo ſpecies à genere diſcordet pateſactum eſt; tum maxime, quando dicebatur quonam pacto genus à ſpecie differebat. Reſtat igitur vt dicamus quid inter ſpeciem proprium & accidens interſit, duæ inquam hæ ſunt differentiæ, deinde quo pacto proprium ab accidente diſſentiat. nobis explicandum ſumemus. Nam quomodo à ſpecie differentia, & proprio differat prius diximus, cum mutuum illorum diſcrimen aſſignabamus. Cum igitur quatuor receptæ ſint generis differentiæ, quibus ab aliis differt, & tres ipſius differentiæ, duæq; ſpeciei vna vero proprii, qua abhorret ab accidente decem omnes ſimul emergent, quarum quatuor quibus genus ab aliis diſtinguebatur demonſtrauimus.

Vult hoc loco Porphyrius demonſtrare quot fiant habitudines ex quinq; uocũ mutua comparatione, inquit enim, habitudines fiunt, nõ tanquam quiſpiam uiginti ſuſcipiat, propterea q̃d una quæq; bis ad reliquas quatuor comparetur. Viam præterea quandam tradit, quæ iandudũ à nobis dicta eſt, per quam quot comparationes fiant ex mutua præpoſitorum terminorum collatione, poſſimus inuenire, dicit enim ueluti nos quoq; pauloante dicebamus, præpoſitum terminorum numerum per uno minorem multiplicare oportet, numeriq; effecti dimidium ſumere. totq; habitudines fieri confirmat. ut hoc patebit exemplo, quinq; per uno minorem, quatuor uidelicet, multiplicemus, & uiginti reddentur, horum dimidium eſt decem huiuſmodi igitur quinq; uocum inter ſe fiunt habitudines, Cur uerò hunc in modum faciamus, cauſa hæc eſt. Vnamquãq; quinq; uocum ad reliquas comparare neceſſe eſt. quinquies propterea quatuor numeramus, & uiginti habitudines fiunt. Quoniam autem bis eaſdem fieri comparationes contingit,

tingit, dimidium ſumimus, genus cæteris quatuor comparantes, ad differentiam uoces eaſdem comparari patet. ſi igitur differentiam reliquis quatuor comparabimus, bis genus ad differétiá accipere contingit. eodem de reliquis fit modo. Alia item regula eſt, qua quot ex præpoſitis terminis fiant habitudines, cognoſcimus. Si nõnulli termini ſint, aliiſq; addantur, per unumquemq; terminorum totidem fient habitudines. Vt quinq; ſint præpoſiti termini, primi non erit habitudo, ſi alter apponatur, una fiet habitudo. quandoquidem unus fuerat præpoſitus terminus. ſi rurſus alius adiungantur, duæ erunt habitudines, quot præpoſiti termini fuerant. tres igitur omnes fiunt habitudines. ſi alius ad hos ponatur terminus, tres præponuntur habitudines, omneſq; ſex omnino redduntur. addito item iis termino quatuor habitudines patét, quare quinq; terminorum habitudines decem fient. Sic etiam probatur. Vnamquamq;, quinq; reliquis quatuor æquiparare oportet. Genus ergo cæteris comparatum quatuor habitudines efficiet. Differentia uero generi comparabatur, cum ſibi comparabatur genus. Hoc enim ita eſt, cæteris tribus comparata tres faciet habitudines. fiunt itaq; ſeptem. Species præterea generi, differentiæq; comparata eſt, quando ſibi genus, differentiaq; comparabantur. reliquis itaq; duabus comparata facit habitudines duas, qua de re nouem redduntur. Proprium deinde generi, differentiæq;, ac ſpeciei comparatum fuit, quando ea ſibi comparabantur. atq; accidenti comparatum unam facit habitudinem, quo fit, ut decem omnino fiant, Accidens nullum habet, cui comparetur. Idipſum omnibus comparatum fuit, cũ omnes eidem æquipararentur. Omnes itaq; habitudines quatuor, tres, duas, unam, fieri manifeſtũ eſt. Generis quatuor, differentiæ tres, ſpeciei duas, unam proprii, quæ omnes decem ſunt, proprium amplius generi non comparatum eſt, quandoquidem id factum fuit, cum ſibi genus compararetur. Reliquum eſt, ut declaretur, quomodo à ſpecie differat. eadem habitudo eſt generis ad differentiam, & differentiæ ad genus, differentiæ uero, & ipſorum conuenientiæ non amplius genus, ſed quæ poſt hæc, comparantur.

DE SPECIEI ET DIFFERENTIÆ COMMVNITATE ET DISCRIMINE.

Commune igitur differentiæ, ſpecieiq; eſt, vt æqualiter communicentur, nam ſinguli homines æque homine participant, ei rationali, quod eſt differentia. Illud præterea commune, vt ſemper præſto ſint participantibus nam ſemper Socrates rationalis ſemperq; homo. Item differentiæ peculiare, eſt vt in quale quid prædicetur. ſpeciei vero conuenit, vt in quid dicatur. nam & ſi homo perinde ac quale quid acciperetur. tamen non erit ſimpliciter quale, ſed quatenus aduenientes generi differentiæ efficiunt, ut homo ſit. Adhuc differentia in pluribus ſæpe ſpeciebus ſpectatur veluti quadrupes in pluribus animalibus ſpecie differentibus videri poteſt. At ſpecies in ſolis indiuiduis, quæ ſub ipſa collocantur, differentia rurſus prior eſt ſua ſpecie. Nã rationale vbi adem ptũ fuerit. Illico hoĩem eruet. Sed homo ſublatus minime rationale auulſum erit, cum ſit angelus.

AD communia, propriaq; differentiæ & ſpeciei reliquarumq; uocum ſe cõuertit, In iiſq; ſuũ perficit libellum, differentiæ igitur ſpecieiq; communitates duas, uarietates uero plures aſſignat. primam itaq; differentiæ proprietatem in quale prædicari eſſe dicit, ſpeciei autem in quid & quod quiſpiam dubitare poterat, ipſe præueniens reſoluit. Diceret enim aliquis quã ob cauſam ſpecies in quid differentia in quale prædicatur, quandoquidem & homo quale quid animal dicatur. Nam quid Socrates ſit interrogati animal dicimus, quale animal, hominem reſpondemus. Quare ſpecies quoq; in quale quid prædicatur. inquit igiť TAMEN NON ERIT SIMPLICITER QVALE, SED QVATENVS ADVENIENTES GENERI DIFFERENTIÆ EFFICIVNT VT HOMO SIT. In quid enim prædicari ſpecies à generibus accipiunt, in quale uero à differentiis nanciſcuntur, quale namq; animal interrogati rationale, mortale dicimus. Quare differentiæ ex ſeipſis habent quale. ſpecies autem à differentiis acquirunt.

Differentia præterea alteri differentiæ connectitur, nam rationale, mortale vnà ad conſtituendum hominem componuntur. At ſpecies adeo alterius ſpeciei congreſſum fugit, vt aliqua alia ſpecies ex iis fieri nequeat. nam aliquis equus cum aliqua equa coire poteſt, vt pariat mulum. ſed equus ſimpliciter aſine copulatus mulum non conficerent.

Aliud differentiæ & ſpeciei diſcrimen oſtendit, quod ſcilicet differentia cum alia differentia componi poteſt,ut aliud quidpiam ſubſiſtat,ut rationale, mortaleq́; ad hominis cōſtitutionem componuntur.uniuerſalis uero homo cum uniuerſali equo nihil perficiunt,at uniuerſale rationale mortaleq́; perficiunt hominem,ſi enim mulus ex equo fiat, & aſina, non ex uniuerſali fit, ſed ſingularibus.equus quidem aſinam accedens mulum facit.nō uniuerſalis,ſed aliquis equus cum quadam aſina,Aliter etiam differentiæ quæ ad cuiuſpiam ſpeciei ortum conueniunt, nihil mutuo patiuntur.quandoquidem ſingulæ ſuam ipſarum ſeruant naturam.ut in hominis ſpeciei ortum mortale,& rationale mentisq́; ac ſcientiæ capax concurrunt.quoniam ab illarum aliqua ſeorſum non perficietur.equus uero & aſina congredientes,& mulum facientes ſuā in mulo naturam nequaquam ſynceram ſeruarunt,quoniam ſpecies nō ſunt, ſed indiuidua. Vtriuſq; enim ſubſtantia corrupta aliquid ab utriſq; diuerſum factum eſt.Quo fit, ut ſpecies cum ſpecie non conueniat.

DE CONVENIENTIA ATQVE DISCRIMINE PROPRII DIFFERENTIÆQVE.

DIfferentia autem & proprium commune habent,vt ſeſe æqualiter impertiant iis,quæ participant.Nam atq; rationis participes ſunt rationales,identidem riſus ad ridendum apti.Itē, ambobus commune eſt,ſemper,& omni adeſſe.nam etſi bipes vno ſit claudus pede,tamen vt bipes ſemper aptus dicitur.Idq; etiam fert aptum riſui,eo quod etſi ſemper non rideat,aptum tamen eſt proprium autem differentiæ eſt,quod ipſa de pluribus ſpeciebus ſæpe dicatur,vt rationale de angelo,& de homine.At proprium de vna ſola ſpecie dicitur,cuius eſt proprium.differētia rurſus, Illa ſequetur,quorum,erit differentia.non tamen conuertitur.at propria,quoniam reciprocātur cum iis,quorum ſunt propria viciſſim prædicantur.

DIfferentiæ & proprii duas conuenientias aſſignat,altera eſt,ut æqualiter communicetur, & in quibus inſunt ſemper præſto ſint. Socrates non magis rationalis eſt, quàm Plato.neq; magis riſui aptus.At ſi rationalius quidpiam aliud alio magis,minusúe dicemus,aliud per rationale,& magis rationale hinc ſignificabimus.Hoc etenim loco non rationalem ſubſtantiam, ſed in diſciplinis rationalem habitum quærimus,qui quidem animi habilitas eſt.Semper enim homo rationalis eſt.ſemperq́; riſui aptus,non quod rideat ſemper, ſed quòd ad id aptus natus ſit. Duas inſuper dicit diſſimilitudines,Differentia enim plures ſpecies continet, proprium uero in ſola ineſt ſpecie Quodq; differentia,quanquam ſequatur ſpecies, uiciſſim non prædicetur.nam ſi quid homo eſt,Idq; rationale,ſed ſi rationale ſit,non ſemper erit homo.At proprium & ſequitur,& reciprocata prædicatione prædicatur.nam ſi homo eſt,ridendi aptitudo eſt,ſi ridēdi aptitudo eſt,homo eſt.

DE COMMVNITATE ET DISCRIMINE DIFFERENTIÆ, ET ACCIDENTIS.

INter differentiam & accidens conuenit, vt ambo de pluribus prædicentur.Commune etiam accidentibus inſeparabilibus eſt, vt ſemper & omni adſint. Nam bipes ſemper homini adeſt. & nigrum coruis,ac nigris ſimiliter,differt autem quoniam differentia ſpecies continet,at nō continetur.Nam rationale angelum & hominem continet.ſed accidentia aliquo modo contineret, q̄ in pluribus ſunt,& quodammodo continentur,q̄ ſubiecta vnum accidens, nec plura recipiunt, differentia non intenditur nec remittitur. At accidentia magis,minuſq; ſuſcipiunt. Rurſus differentiæ contrariæ miſceri non poſſunt,at accidentia contraria interdum miſcentur.totidem igitur communiones,ac differentiæ proprietates & aliorum ſint.Quo autem modo ſpecies à genere ac differentia longe abſit,explicauimus,vbi dicebamus,quo nam pacto genus ac differentia à cæteris diſcrepent,reliquum dicendum erit quonam pacto à proprio & accidenti differant.

DVæ ſunt differentiæ atq; accidentis communitates.altera eſt de pluribus prædicari. altera uero ſemper ſpeciebus adeſſe.ſed prima ſeparabilibus pariter,atq; inſeparabilibus conuenit ſecunda autem iis tantum,quæ non ſeparantur.homo ſiquidem ſemper nō ſedet.at coruus ſemper niger eſt,Diſſimilitudines autem tres ſunt. Differentia ſpecies cōtinet.rationale enim eſt ho-

mine multiplicius. Accidentia & comprehendunt,& comprehenduntur, quatenus nigrum non æthiopi modo,uerum etiam coruo,cæteriſq; conuenit, compræhendit, qua uero æthiops alia ſuſcipere poteſt accidentia,continetur. QVODAMMODO adiectum eſt quoniã neq; propriæ continet,neq; continetur. Socrates enim altero, rationis magis capax non eſt, niſi per diſciplinam id conſequatur quæ quidem animi aptitudo eſt. neq; per ſubſtantiam, quæ ratione conſtat (ut diximus) Accidens magis minusúe ſuſcipit, æthiops alio æthiope, coruusq; coruo nigrior eſt. cõtrariæq; differentiæ nequaquam miſcentur, rationale,& rationis expers non coniunguntur, album enim & nigrum miſta fuſcum reddunt, contraria itaq; accidentia commiſceri poſſunt.

DE COMMVNITATE ET DISCRIMINE SPECIEI, ET PROPRII.

Species, & proprium prædicationem reciprocatam habent, communem. Nam ſi quid homo eſt, aptum riſui eſt, & ſi quid aptum riſui, illico homo, ſed aptum riſui ſumendum eſt, quatenus ad ridendum aptum eſt (vt quam ſæpiſſime diximus) item commune eſt, vt iis æqualiter adſint, quibus communicantur. Nam equi ſpecies ſuis communicantibus, ac propria iis, quorum ſunt propria æqualiter inſunt.

Differentiæ ſermonem cum perfeciſſet, ad ſpeciem deſcendit. & in quibus ſpecies à genere diſcordet, & differentia, & in quibus communicet, dictum eſſe affirmat, cũ illa ſibi cõparabantur, quomodo itaq; à proprio differat & accidente, & in quibus cum illis communis ſit, dicetur. Species itaq; & proprium in duobus conueniunt. unum eſt conuerti, & uiciſſim prædicari, nam ſi homo eſt. ridendi aptitudo eſt. Si ridendi aptitudo, homo etiam eſt. riſui aptum dicit, nõ quod rideat, ſed quod ita ſuapte natura ſit comparatum, ut ridere poſſit. Alterum eſt, ut æque ſpeciebus, quarum ſunt ſpecies, propriiſq; quorum propria ſunt, participent. Omnes enim quo ad ſubſtantiæ rationem æque ſunt rationales, & æqualiter ridendi aptitudo impartita eſt. Diſcrimina plura ſunt, quoniam ſpecies aliorum genus eſſe poteſt. ut animal animati ſpecies, genus hominis eſt, & equi.

DE IPSORVM DIFFERENTIA.

AT ſpecies à proprio differt, quoniam ſpecies aliorum genus eſſe poteſt. ſed proprium aliorũ proprium eſſe nequit. Item ſpecies prius, ac proprium ſubſiſtit. At propriũ ſpeciei aduenit, hominem enim eſſe oportet, poſtea vero aptum riſui. Item ſpecies ſubiecto ſemper actu adeſt, ſed proprium aliquando, & potentia. Nam homo ſemper actu Socrates eſt, verum non ſemper ridet & ſi ſemper ad ridendum aptus ſit. Rurſus quorum definitiones differunt, ipſa quoq; diſcrepant. eſt autem ſpeciei peculiare, vt ſub genere ponatur, et de pluribus numero differentibus prædicetur, et quæcunq; id genus. ſed proprio præcipuum eſt, vt omni, ſoli, et ſemper adſit.

Speciem ſubalternam non ſpecialiſſimam dicit. Proprium alterius proprium eſſe nequaquam poteſt atqui ſpecies proprio prior eſt. hominem quippe eſſe, riſusq; aptitudinem neceſſe eſt. Proprium ſpecie poſterius. Species præterea actu ſemper ſubiecto ineſt. ſemp enim Socrates homo eſt Sed proprium non ſemper actu, non enim ſemper homo ridet. ſemper tamen poteſt, Rurſus quorum differunt definitiones eadem quoq; differre compertum eſt, hoc etiam quatuor reliquis conuenit. De genere quidem cœteriſq; quorum differunt definitiones eadem etiam differre dicere poſſumus.

DE COMMVNITATE ET DIFFERENTIA SPECIEI, ET ACCIDENTIS.

COnueniunt inter ſe ſpecies et accidens, quod ambo de pluribus prædicantur, raræ admodũ aliæ inter hæc intercedunt communitates, quoniam accidens, et id, cui accidit, inter ſe plurimum diſtant.

Speciei accidentiſq; unam aſſignat cõmunitatem, multaq; diſcrimina. Quam ob cauſam unã habeat tãtummodo cõmunitatem differentias uero plures dicit, quam nos etiam pauloante

recenſuimus. quod ſcilicet ea, quæ plurimum diſtent, raro inter ſe conuenire, multumq; diſferre. Contrà, quæ uicina propè ſunt, raras habent diſſimilitudines, pluresq; conuenientias. Vtriſq; itaq; de pluribus prædicari commune eſt. Homo de Socrate, Alcibiade, & aliis. nigrum item de æthiope, coruoq;, & eiuſmodi prædicatur.

DE IPSORVM DIFFERENTIA.

AT propria vtriuſq; hæc ſunt. ſpeciei inquam, de iis, quorum eſt ſpecies prædicari. ſed accidẽtis in quale quid, vel quomodo ſe habet. Item quod vnaquæq; ſubſtantia vna ſpecies participet. ſed accidenti pluribus, ſeparabili inquam & inſeparabili. Item ſpecies priuſquam accidẽtia, & ſi ſeparabilia fuerint, intelliguntur. Nam ſubiectum prius eſſe oportet, quam illi quidquam accidat. ſed accidentibus ſuapte natura comparatum eſt, vt genere poſteriora ſint, & ſubſtantiæ aduenant. Item ſpecies æqualiter communicatur ſed accidens minime, & ſi inſeparabile fuerit. Etenim æthiops æthiopis nigrum colorem vel intenſum'ue remiſſum habet. reſtat autẽ vt de proprio & accidente dicamus. nam quo pacto proprium à genere, ſpecie, differentiaq; differat, diximus.

SPeciei in quid, accidentis uero in quale quid, uel qualiter ſe habet prædicari proprium eſt. Qualiter ſe habeat æthiops interrogati, ualere, ægrotare'ue reſpondebimus. Species in quale quid nihilo ſecius prædicatur. uerum id (ut prius diximus) ab differentiis adepta eſt. Vna præterea quæq; ſubſtantia unius ſpeciei, accidentium uero plurium eſt particeps. ut aduncitas, ſymitas, nigror. Species poſtea prior eſt, accidens poſterius, quandoquidem hominem prius eſſe, quàm fieri nigrum oporteat. Atqui ſpeciei communicatio æqua eſt, æque Socrates, ac Plato homo eſt. ut non æque nigri, aut albi. æthiops æthiope nigrior inuenitur. Ad proprii nunc accidentisq; proprietates, & communiones deſcendit, ſuumq; perficit ſermonem. Proprium igitur quomodo à genere, differentia, ſpecieq; differat, communicetq;, tunc diximus, cum ea ſibi comparata fuerunt. In quibus cum accidenti communicetur, ab eoq; diſcrimen habeat, dicendum eſt.

DE PROPRII ET ACCIDENTIS COMMVNITATE ET DIFFERENTIA.

COmmune autem proprio, Inſeparabiliq; accidenti, vt illa ſine iis, in quibus eſſe ſpectantur, non ſubſiſtant. vt enim ſine ridendi facultate homo non ſubſiſtit, ſic neq; æthiops ſine nigro ſubſiſteret. & quemadmodum omni, & ſemper adeſt, proprium ſic inſeparabile accidens.

MErito INSEPARABILI appoſuit. iis enim diſtinctis facile quiſpiam illud, ſeparabile inquam, cognoſcet. cui cum proprio nulla ferme communitas intercedit. Commune igitur proprii & inſeparabilis eſt, ut res ſine iis, in quibus ſpectantur eſſe non poſſint. Etenim niſi ridendi aptitudo ſit, non erit homo. & abſq; nigro non eſt coruus, & ueluti homo ſemper eſt ad ridendum aptus, ſic coruus ſemper niger eſt. Separabile non ſemper adeſt ſpeciei, quoniam homo non ſemper ſedet. fieri quinimmo poteſt, ut abſq; illo homo conſiſtat. Socratem enim non ſedentem animo poſſumus comprehendere. Quid igitur proprium, & inſeparabile commune habeant, & ſeparabile non communicari, quidq; diſcriminis interſit, quandoquidem illud à proprio maximè differat, ex iis declaratum ſit.

DE IPSORVM DISCRIMINE.

DIfferunt autem, quod proprium vni tantum adeſt ſpeciei, vt homini ridendi aptitudo, ſed inſeparabile accidens ceu nigrum non modo æthiopi, ſed etiam coruo, Carboniq;, ebeno, & quibuſdam aliis conuenit, proprium adhuc cum eo prædicando, cuius eſt proprium, reciprocatur, æqualiterq; ineſt, at accidens id minime fert. Item propria æqualiter communicantur. accidentia vero magis, minuſu'e. Sunt & alia communia, & propria ab iis, Quæ diximus, ſed hæc ad eorum diſcrimen; & conuenientiam dicta ſufficiant.

PRoprium ab inſeparabili differt ex eo, quod uni ſoli ſpeciei proprium conueniat, ut riſus ſoli contingit homini, Nigrum autem, quod inſeparabile eſt, non æthiopi tantum

uerum etiam corno, & aliis compluribus Proprium præterea reciprocatur, quod eſt in cauſa ut æque particeps ſit. ſi homo, & ridendi aptitudo. ſi ridendi aptitudo, & homo eſt, æque Socrates, & Plato riſui apti ſunt. Inſeparabile accidens conuerſa prædicatione uti nequaquam poteſt. quare nec æqualiter participare, Nam ſi coruus eſt, nigrum eſt. at ſi nigrum non tamen coruus. Aethiops etiam (ut dictum eſt prius) æthiope nigrior inuenitur. ſed riſus aptitudo nulli magis eſt, & minus.

Porphyrium ſine proprio, accidenteq́; eas conſiſtere non poſſe ſubſtantias, in quibus cognoſcerentur, nequaquam dixiſſe animaduertendum eſt. Quandoquidem ſubſtãtia res ſit, quæ per ſe ſubſiſtat, uerum quòd abſq; proprio & accidente ſubſtantiæ, non quatenus ſubſtantiæ, ſed ſecundum ipſa, propria uidelicet, & accidentia, nõ ſubſiſtant. Nam muſicus ſocrates quà Socrates eſt, etſi muſicus nõ ſit, erit tamen Socrates, Quatenus uero muſicus abſq; eo, quod muſicus ſit, cõſiſtere nõ poterit.

*

QVINQVE PORPHYRII VOCVM CVM HAMMONII INTERPRETATIONE FINIS.

IOAN. BAPTISTA RASARIVS

OCTAVIANO SCOTO VIRO ERVDITISSIMO. S.

HAMMONIVM *minorem Porphyrii interpretem, quem à Lucillo artium doctore adhortatus, à teq; rogatus è græcis ad nos conuerti tibi imprimendum citius, quam decreueram ipſius Lucilli ſuaſu, & impulſu mittere coactus ſum, Cogitaueram enim primum vigiliarum mearum laborem, antequam in publicum edendo præcipitarem, tanquam lector diligens perpendere, vt mendis expurgaretur, & alacri fronte prodiret in lucem. Sed tanti & Lucilli philoſophi grauiſſimi autboritatem facio, tuæq; permagnæ & prudētiæ & diligentiæ confido, vt ab eo excitatus & prope incenſus, & à te rogatus amplius differre non potuerim. Tu enim, ſcio, pro ea, quæ in te eſt humanitas, & ſtudioſorum hominum charitas, & beneuolentia, curare minime dedignaberis, ut impreſſores tui, quāquam diligentes ſint, acutius aliquanto inſpiciant, & animum paulo vigilantius aduertant, quo libellus τυπικῶν ſaltē ἁμαρτημάτων expers ſit. vt inuidis ne punctum quidem relinquatur, in quo ſuam exerceant dicendi licentiam. Cum etiam illi viro inſcribatur, cuius grauitatem, & rerum gerendarum ciues magiſtratus, & principes admirantur, cuius integre fidei* CAROLVS CÆSAR AVGV. *credere non dubitat. Iuris præterea ciuilis ſcientiam iſtius hominis Senatores ſuſcipiunt, Humanitatem & clementiam cum maxima omnium admiratione inuidi etiam venerari, & plurimum obſeruare coguntur. Ipſius demum nomen ſceleſti & facinoroſi reformidant, verendum nequaquam eſſe exiſtimo quin me, vtpote in ſuorum mancipiorum numerum aſcriptum ab improborum hominū calumniis defendat, & tueatur. Tu interim rei literariæ decus, & bonarum artium inſtaurator. vale diu meq;, vt ego te, tuaſq; virtutes, diligas vehementer rogo.*

Mediolani. vi. Caleñ. Aprilis. 1542.

SERIES CHARTARVM.

Omnes ſunt duerni.

a b c d e f g h